



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Monvmenta Romana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

MONVMENTA  
ROMANA.

IN VRBEM ROMAM  
FLORENTEM

IVL. CAESAR SCALIGER.



*Os septem gemini caelestia pignora  
montes,*

*Vosque triumphali moenia stru-  
cta manu,*

*Testor, adeste, audite sacri com-  
mercia cantus:*

*Et Latios animos in mea vota date.*

*Vobis dicturus meritis illustribus vrbes,*

*Has ego primitias primaque sacra fero.*

*Quin te vnam laudans, omnes comprehenderit, orbem*

*Non urbem, qui te nouerit, ille canet.*

FRANCISCVS BENCIVS DE SOCIE-  
TATE IESV.

*Roma vetus, totum manibus qua amplecteris orbem,  
Seu dare vis terris, seu dare iura mari.*

*Vna triumphali diademate cingeris: vna  
Omnia Tarpeij cernis ab arce iugi.*

*Te caput, ad calum tollentem suspicit Atlas,  
Te sibi substitui pondere fessus auet.*

*Salve magna Patrons virtutum, magna virorum,  
Qui titulos armis, qui peperere toga.*

A

Nil

ROMANA.

*Nil tantis certet tibi laudibus: omnia vincis,  
O decus, o hominum gloria, Roma vetus.*

---

ROMAE VETERIS TVMVLVS  
IOACHIMO BELLAIO AVCT.

*Montibus è septem totum diffusaper orbem,  
Sidera sublimi vertice ROM Atuli.  
Sub pedibus terras utroque à littore pressi:  
Atlantem tenuit dextra, sinistra Scytham,  
Iuppiter hos etiam disiecit fulmine montes,  
Et tumulos iussit corporis esse mei,  
Incubuit capiti rupes Tarpeia nostro:  
Pressa Quirinali pectora nostra iacent.  
Crua Palatinus geminos hinc inde lacertos,  
Collis Auentinus vimineusq, tenent.  
Exquilias hinc surgunt, & surgit Calius illinc,  
Hac quoque sunt pedibus facta sepulcra meis.  
Sic quæ viua sibi septem circumdedit arces  
Mortua nunc septem contegitur tumulis.*

---

EPITAPHIVM ROMAE VETERIS  
ANDREA FRVSIO SOC. IESV  
Auctore.

*Languentem gressum paulisper siste, viator,  
Et lege marmoreis carmina sculpta notis.  
ROMA sui quondam toto celeberrima mundo  
Marte, situ, ingenio, nobilitate potens:  
Quippe triumphalis frenauit legibus orbem,  
Paruit imperio terra fretumq, meo.  
Imposita septem micuerunt collibus arces,  
Totq, arcus, Therma, templa, theatra, via.*

Præ-

ROMANA.

Prorsus eram felix, si non periturus fuisset,  
 Et nisi tam multas fors rapuisset opes.  
 ROM A ego iam non sum, perij, proprijsq; ruinis  
 Obruta sum, gremio condor & ipsa meo.  
 Reliquias quascumque vides, quae diruta cernis  
 Mœnia, splendoris sunt monumenta mei.  
 Frustra igitur ROMAM ROMAE tu quæris, abire,  
 Iam potes hinc, ROMAE ROMA sepulta iacet.  
 Interea temere perituras ne strue moles,  
 Cautior exemplo cum potes esse meo.  
 Carpe viam, volui scires hæc pauca, memento  
 Ut meminisse mei, sic meminisse tui.

IN EANDEM.

QUALIS EST HODIE.

IANVS VITALIS PANORMITANVS.

Qui Romam in mediâ quæris, nouus aduena, Româ;  
 Et Romæ, in Româ Nil reperis mediâ,  
 Aspice murorum moles, præruptaq; saxa,  
 Obrutaq; horrenti vasta theatra situ:  
 Hæc sunt, Roma vident, vel vt ipsa caduera tanta  
 Urbis adhuc spirent imperiosa minas?  
 Vicit vt hæc mundum, visa est se vincere: vicit,  
 A se non victum ne quid in orbe foret.  
 Nunc victa in Roma victrix, Roma illa sepulta est;  
 Atq; eadem victrix, victaq; Roma fuit.  
 Albula Romani restat nunc nominis index,  
 Quæq; etiam rapidis fertur in æquor aquis.  
 Discite hinc, quid possit fortuna: immota labascunt,  
 Et quæ perpetuò sunt agitata, manent.

A 2

GEOR-

GEORGIUS BRUGENSIS.

*Qui miseranda videt veteris vestigia Romæ,  
 Ille potest meritò dicere, Roma fuit.  
 At qui celsa noua spectat pallatia ROMÆ,  
 Hic meritò poterit dicere, ROMA viget.*

---

FRANCISCVS BENCIVS DE SOCIE-  
 TATE IESV.

*ROMA, noua immenso lucem qua diuidis orbi,  
 Seu tua das terris, seu tua sacra mari.  
 Tota salutifera fulges cruce: tota triumphas,  
 Et vaticana maxima in arce sedes.  
 Te Dominam rerum, calog<sub>3</sub> Ereboq<sub>3</sub> potentem  
 Sensit, & è stygijs horruit orcus aquis.  
 Salue Dia Parens, salue domus alma piorum,  
 Morte quibus domitâ pandis ad astra viam.  
 O sola, ô summo felix à principe princeps,  
 O qua mortales vna beare potes!*

---

IN CAPITOLIO.

AD ANTONINI PII IMPERAT. STA-  
 TVAM EQVESTREM.

PAVLVS III. Pont. Max. statuam æneam eque-  
 strem M. ANTONINO PIO etiam tum viuenti  
 statutam, varijs deinde vrbis casibus euerfam; & à  
 Sixto IV. Pont. Max. ad Lateranens. Basilicam re-  
 positam: vt memoriæ opt. Principis consuleret,  
 patriæque decora atque ornamenta restitueret, ex  
 humiliori loco in aream Capitolinam transtulit,  
 atque dicauit. M. D. XXXVIII.

Augustinus Trincius, Iacobus Buccabella,  
 Cæsar de magistris, Conseruatores Curr.

ANTE

## ANTE INGRESSVM.

S. P. Q. R. Capitolium præcipuè Ioui olim commendatum, nunc DEO vero, cunctorum donatori, auctori Iesu Christo cum salute communi supplex commendat, atque tuendum tradit, Anno post salutis initium M.D.LXVIII.

IBIDEM.

S. P. Q. R. Maiorum suorum præstantiam; vti animo, sic re, quantum licuit, imitatus, deformatum iniuria temporum Capitolium restituit, Prospero Buccapadulio, Thoma Cauallerio curatoribus, Anno post V.C. CXO.XOO.CCCXXX.

IBIDEM.

S. P. Q. R. Monumenta marmorea Magistratum triumphorumque ab Vrbe condita ad tempora Diui Augusti ruderibus in foro egestis eruta, Impensa Alexandri Farnesij Cardinalis, Pauli III. Pontif. Max. nepot. in Capitolio pos.

*Marmor a præclaros testantia fronte triumphos,  
Atque magistratus inclyta, ROMA, tuos.  
In medio mansere foro, cum Roma manebas,  
Postq̄, Deos orbi iura secunda dabas.  
Ast vbi te indignis segei fortuna ruinis,  
Obruerat titulos alta ruina tuos.  
Tamq̄, diu in tenebris tantis iacuisse videntur,  
Hu veluti fato debita temporibus.  
Qua modo Alexander, Patria te dignus auoḡ,  
Paulo, inuenta tibi marmora restituit.  
Tu Capitolina meliori in sede reponis,  
Et legeris magni munere Farnesii.*

A 3

IN

IN MARMORE QVOD EST AD DEX-  
TRAM INTROEVNTIBVS.

Triumphalis Gentilium pompa, Augustorum honori reddi solita, ad deuotum Christianæ religionis cultum redacta, DEI genitricis virginis festo die, dum Christi Saluatoris nostri mirabile simulacrum ex laterano in Esquilias ad Mariæ matris maiorem ædem quotannis ingenti plausu, solenni que processione defertur, pro Senatus, magistratuumque, & totius equestris ordinis dignitate, populi que & plebis obseruantia; neve vlla post-hac inter plebeia collegia contentio fiat, decretum est, vt hoc statuto ordine vniuersi cum suis faculis, Thalamisque, & luminaribus sacram imaginem, quæ iter fecerit, comitentur, ea ratione, vt, qui proximiores simulacro sint, digniores habeantur. Aquarij iter auspicentur, post fornacarij, molendinarij, muliones, lignarij, vinarij, caupones, salfamētarij, cadelarij ex sebo, piscatores, piscarij, vini-tores, olitoresque, pistores, furnarijque, pellipari, figuli, stabularij, ergastuli lignorum, mercimonarij, sellarij, coriarij, tonfores, calcearij, lanij, sutores, sartoresque, fabri lignarij, fabri ferrarij, aurifices aromatarij, lanifices, fullonesque, mercatores pannorum, agricultores, boarij, Thalamus Rom. Fisci. Si quis ergo secus fecerit, xxv. aureorum poena multetur.

AD HERCVLIS SIGNVM.

PAVLO III. Pont. Max. Bernardinus Victo-  
rius, Laurentius Vellius, Vallerius Valentinus  
Cōseruatores, signum HERCVLIS in ruinis tem-  
pli

ROMANA.

7

pli HERCVLIS VICTORIS in foro Boario re-  
pertum, gloriae Pop. Rom. & memoriae veterum  
artificum hic reponi iusserunt, Anno Christi M.  
D. XLI.

IN BASI SCRIPTVM EST.

HERCVLI VICTORI, POLLENTI, POTEN-  
TI, INVICTO, S. P. Q. R. D. D. L. M. FRON-  
TO.

IBIDEM.

S. P. Q. R. signum HERCVLIS æneum in foro  
Boario, ad aram maximam egestis ruderibus reper-  
tum, & Sixti IIII. Pont. Max. iussu in Capitolium  
translatum, noua collocata basi imponit GRE-  
GORIVS XIII. P. M.

AD COLUMNAM MILIARIAM.

S. P. Q. R. Columnam miliariam primi ab vrbe  
lapidis indicem ab Imp. Vespasiano & Nerua re-  
stitutam, de ruinis suburbanis viæ Appiæ in Capi-  
tolium transtulit.

AD STATVAM CAROLI SICILIAE  
REGIS.

*Ille ego, qui tuleram praclari Sceptra Senatus,  
Rex Siculis CAROLVS iura dedi populis.  
Obrutus heu iacui faxis terræq; dederunt  
Hunc tua conspicuum tempora, SIXTE, locum.  
Hac me Mattheus posuit Tuscannus in aula,  
Et patria, & gentis gloria magna sua.*

A 4

Is de-



*Is dedit & populo post me bona iura senator,  
Insignis titulis, dotibus atque animi.*

Anno Domini M. CCCC. LXXXI. III. semestri.

AD LUPÆ ALTRICIS SIMVLA-  
CRVM.

Hoc æneum Lupæ simulacrum, ex cuius vberibus urbis conditores pendent, Romulus & Remus, antiquissimum esse, ex Ciceronis verbis constat, cum inquit: Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum & lactantem, vberibus inhiantem fuisse meministis. Et Virgil. Ludere pendentes pueros. R. De capite ferreo, M. de bellis hominibus. F. De Miccinellis Cofs. P. Cur.

AD STATVAM MARMOREAM  
LEONIS X. P. M.

Opt. Principi LEONI X. Med. Ioan. F. P. Max. ob restitutam instauratamque urbem, aucta sacra, bonasque artes, adscitos Patres, sublatum vectigal, datumque congiarium, S. P. Q. R. pos.

IBIDEM.

GREGORIO XIII. Pont. Max. opt. Principi,  
Hugoni Boncompagno Bononiensi,  
qui Rom. magistratus  
& Ecclesiasticas dignitates  
Iustitiam & Pietatem colens,  
Ad Pontif. sedem euectus,  
Vniuersam Rempub. Christian.  
summâ prouidentia & caritate  
moderatur

S. P. Q. R.

Hieronymo Bubalo Camillo, Mancino Bernardino Cauallerio Cofs.

IBI-

ROMANA.

3

IBIDEM.

GREGORIO XIII. Pont. Maximo,  
ob farinae vectigal sublatum,  
Vrbē, templis & operib. magnificentiss. exornatū,  
H. S. octingentes  
singulari beneficentia  
in egenos distributum,  
ob seminaria exterarum nationum  
in vrbe, ac toto penē terrarum Orbe  
religionis propagandæ caussa  
instituta.  
ob paternam in omnes gentes caritatem,  
qua ex vltimis noui orbis insulis  
Iapponiorum regum legatos  
triennij nauigatione  
ad obedientiam sedi Apostol. exhibendam  
primū venientes ROMAM  
pro Pontificia dignitate accepit,  
S. P. Q. R.

---

AD STATVAM SIXTI V. P. M.  
AENEAM INAURATAM.

SIXTO V. Pontif. Max.  
ob quietem publicam,  
compressa sicariorum exulumque licentiā,  
restitutam annonæ inopiam,  
subleuatam Vrbem,  
ædificijs, vijs, aquæ ductibus illustratam  
S. P. Q. R.

IBIDEM.

Quod ALEXANDER FARNESIUS Parmæ &  
Placentiæ Dux III. magno in Imperio res pro  
Republ. Christiana præclaras gesserit, mortemque  
obierit, Romaniq̄ue nominis gloriam auxerit,  
S. P. Q. R.                      A 5                      Hono-

Honoris ergo maiorum morem seculis multis intermissum, reuocandum censuit, statuamque ciui optimo in Capitolio Virtutis, suæque in illum voluntatis testimonium,

ex S. C. P.

Clementis VIII. P. M. Anno II.

Gabriele Cofarino Pr. v. C.

Iacobo Rubea,

Papyrio Albero Coss.

Celso Celso cap. reg. pr.

AD EQVESTREM DVCIS PARMENSIS Statuam,

F. VINCENTIUS SICVLVS MINORITA.

*Talibus Armipotens rutilans insignibus Heros,  
Celsus ALEXANDER sic equitabat ouans.  
Horribiles acies radiantes are fugabat  
Hostis, & explebat pectora saua metu.  
Subdidit imperio reuolutaq; Regna Philippi  
Regis: quæ penitus pressa, subacta manent.  
Iungitur agminibus Superum modò sedibus aureis:  
Perpetuò cuius maxima facta micant.*

EIVSDEM.

COR Italo rapitur, Gallo SPES, BRACHIA tristi  
Hispano, Flandro iam cadit omne DECVS.

IN CONCLAVI PONTIFICIO.

ALEXANDER FARNESIUS, Octauij F. Parmæ & Placentiæ Dux tertius, Prouinciam nactus Belgicam, Philippi Hispaniarum Regis imperia detrectantem, Maltrichum Urbem munitissimam expugnauit: Bironium Gallum, diuersarum partiũ Ducem

R O M A N A.

2.

Ducem collatis signis prælio vicit: Dunckerkam, Gandauum, Brugas, Hypras, Teremundam, Bruxellas, aliaque plurima Belgij oppida aut vi cepit, aut ad deditiōem compulit. Antuerpiam nullis humanis viribus expugnabilem, ingenti ad Scaldim fluuium operum magnitudine circummunitam in deditiōem accepit: Nouesium receptum Coloniensi Archiepiscopo reddidit: Belgas omnes, qui continentem incolunt, in Philippi Regis potestatem, & ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reduxit. Hæc ob res, aliasque fortiter gestas, à S. P. Q. R. Summus Imperator, elogio propè maiorum triumphos, quorum gloriam aut vicit, aut certè æquauit, ornatus est. Achille Cibo, Octauiano Crescentino Cofs. Vlixè Lanferinio Gallo, Lamentino Mancino cap. Reg. Priore.

IN AVLA CVR. SENAT. AD SIGNVM  
PAVLI III. P. M.

PAVLO III. P. M. Quod eius iussu, auspicijs, atque ære conlato urbem situ ac diuerticulis viarum deformem atque imperuam, dissectis male positis ædificijs in meliorem formam redegerint, vijs, arèisque cum veteribus directis ampliatis, tum nouis constitutis auxerint ornauerintque, Latinus Iuuenalis Mamectæus, Hieronymus Maphæus Cur. Viar. vrbe instaurata, officij & memoriæ ergò statuam in Capitolio optimo Pontifici P. P. Anno Christi 1543.

IN VATICANO.

IN LAPIDE PORPHYRETICO,

MVRO INFIXO.

SIXTVS V. P. P. M. Bibliothecam Apostolicam  
Sanctif.

Sanctissimis illis prioribus Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipsis adhuc surgentis Ecclesiæ primordijs inchoatam, pace Ecclesiæ reddita, Laterani institutam, à posterioribus deinde in Vaticanum, vt ad vsus Pontificios paratior esset, translata, ibique à Nicolao V. auctam, à Sixto IV. insigniter excultam, quo fidei nostræ & veterum Ecclesiasticæ disciplinæ rituum documenta omnibus linguis expressa, & aliorum multiplex sacrorum copia librorum conseruaretur; ad puram & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem, perpetua successione in nos deriuandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cum loco depresso, obscuro & insalubri sita esset, aula perampla, vestibulo, cubiculis circum & infra, scalis, porticibus, totoque ædificio à fundamentis exstructo, subsellijs, pluteisq; directis, libris dispositis, in huc editum perlucidum, salubrem, magis oportunum locum exculit, picturis illustribus vndique ornauit, liberalibusq; disciplinis & publicæ studiorum utilitati dicauit, Anno Domini MDLXXXVIII. Pontificatus sui IV.

---

IBIDEM IN ALIO LAPIDE.

SIXTI V. P. P. M. perpetuo hoc decreto de libris Vaticanæ Bibliothecæ conseruandis, quæ infra sunt scripta, hunc in modum sancita sunt, inuiolateq; obseruantor.

Nemini libros, codices, volumina huius Vaticanæ Bibliothecæ ex ea auferendi, extrahedi, aliove asportadi, non Bibliothecario, neque Custodibus, Scribisq; neque quibusuis alijs cuiusuis ordinis & dignitatis, nisi de licentia Summi Rom. Pontificis scripta manu, facultas esto. Si quis fecus  
 fece-

fecerit, libros partemve aliquam abstulerit, extra-  
xerit, clepserit, rapseritque; conserpserit, corrupe-  
rit, dolo malo; illicò à fideiù cõmunione eiectus,  
maledictus, anathematis vinculo colligatus est: à  
quoquam, præterquam Rom. P. P. ne absoluitor.

IBIDEM MANV HENRICI IIX. ANGLORVM  
*Regis Libro de 7. Sacramentis, contra Lutherum  
hac verba inscripta leguntur.*

Anglorum Rex HENRICVS, LEONI X. mit-  
tit hoc opus, & fidei testem & amicitia.

IN BELVEDERE SEV HORTIS  
PONTIFICVM.

PIVS IV. Medices Mediolanensis Pontif. Max.  
quo commodiores, honestioresque sibi successoribusque hortos Vaticanos redderet, complures aulas, cubicula & scalas circum supraque hemicyclum, pleraque à fundamentis extruxit: quasdam in veterem formam restituit, atque exornauit, Anno salutis M. D. LXII. Pontif. sui ann. III. Kal. Ian. absoluit.

IBIDEM.

PIVS IV. Medices Mediolanensis Pontif. Max.  
hanc in nemore Palatij Apostolici aream, porticum, fontem, ædificiumque construxit, vsuique suo & succedentium sibi Pontificum dedicauit. Ann. sal. M. D. LXI.

IN DOMO INQUISITIONIS.

PIVS V. Pontif. Max. Congregationis sanctæ Inquisitionis domum hanc, quò hæreticæ prauitatis sectatores cautius coercerentur, à fundamentis in augmentum Catholicæ religionis erexit. Anno  
M. D. LXIX. IN

IN PRIVATA IVLII III. BIBLIOTHECA.

IVLIVS III. P. M. ad honestatem ab ingentibus curis animi relaxationem, litterarij ocij fructum & iucunditatem, Bibliothecam priuatam fieri & exornari iussit, Pontificatus sui anno primo.

VRBS ROMA AD PONTIFICEM,  
INCHOATO OPERE.  
SIXTO V. PONTIF. MAX.

Quod singulari pietate & magnificentiâ Obeliscum mirandæ magnitudinis ex AEGYPTO olim ab OCTAVIANO AUGUSTO, alij à CAIO CALIGULA in urbem aduectum, & in Circo dein Vaticano collocatum, ac progressu temporum ruderibus semisepultum, ex neglecto & infrequenti illustriorem in locum ante limina Basilicæ sancti Petri, quo cunctis patere, adeoque ingens moles conspicua esse posset, transferendum, erigendum, in eiusdemque summitate salutarem Christi Crucem affigendam decreuit; vt qui Tiberio Imp. quondam dicatus, gentilium superstitioni inservierat, diuino nunc cultui addicendus, Christi de utroque Cæsare, Augusto sub quo natus est, ac Tiberio sub quo passus, atque adeo inuictæ Crucis de omni Idololatria clarissimâ victoriam loco celeberrimo demonstraret. Ob rem igitur præclarissimè tentatam, felicemq; propediem exitum sortituram, tot sumptus erogari, tot difficultates superari cęptas, vrbs votis conceptis, publica acclamatione Magnificentissimū Principem profecuta lubes gratulatur.

SIXTO V. P. M. Fidei Catholicæ propagatori,  
Disciplinæ Christ. instauratori, pacis cōseruatori,

VIRTU-

virtutum remuneratori, scelerum vindici,  
 magnarumque rerum auctori,  
 Vrbs egregijs illius beneficijs exhilarata,  
 Patri sanctissimo & Principi  
 Summarum actionum laude clarissimo  
 publica læticia gratulatur:  
 Obelisco magno ad limina S. Petri asportato,  
 inuictissimæque eruci dicato,  
 Ad perpetuum Christianæ pietatis monumentum.

GVILIELMVS BLANCVS ALBIENSIS

I. C.

*Pyramis vt fidei posthac inseruiat alma,  
 SIXTVS eam transfert, sacrat & ipse Cruci.  
 Nec mirum est tanta transferri pondera molis,  
 Nam transfert montes indubitata fides.*

EIVSDEM ANAGRAMMA:

SIXTVS V. DE MONTE ALTO.

TANTOS EXVLES DOMVIT.

*Gens potens armis, inimica pacis,  
 Fuso inundabat Latium cruore,  
 Et dabat rubris abolenda flammis  
 Tecta superba.*

*Corde ducebat gemitus ab imo,  
 Et genas fufis lacrymis rigabat  
 Exules cernens equitare inultos  
 Itala tellus.*

*Itala ô tellus cohibe dolorem,  
 Siste sub SIXTO lacrimas abortas:  
 Ecce Saturni rediêre tandem*

*Aurea secla.*

Die



*Dicis, Paan, age nunc triumphos,  
Delphica crines redimita fronde:  
EXVLES TANTOS DOMVIT Peretti  
Ferrea virga.*

IN CONCLAVI VICINO BIBLIO-  
THECAE NOVAE.

*Dum Bonaventura eximios numerabitur inter  
Doctores iussu, Maxime SIXTE, tuo:  
Tu quoque Pontifices inter numerabere primos,  
Quis scit, an & maior fama futura tibi.  
Tu facis, hic scripsit; tua grandia facta manebunt,  
Ut Bonaventura grandia scripta manent.*

IBIDEM.

*Postquam Italis fusos pradones expulit oris,  
Sustulit inuictas SIXTVS ad astra manus:  
Et Didacum athereis asscripsit ciuibus, illi  
Thura dedit, festos inuuitque dies.  
Sic tu SIXTE tibi potuisti ingentibus actis  
Demeruisse solum, demeruisse polum.*

IBIDEM.

*Vrbs vicina mari medijs sitiebat in undis,  
Nunc dulces SIXTI munere potat aquas.*

AD STATVAM DVORVM  
IUVENVM.

SIXTVS IV. Pont. Max. ob immensam benignitatem, aeneas insignes statuas, priscæ excellentiæ virtutisque monumentum Populo Romano, vnde exortæ fuere, restituendas condonandasque censuit. Latino de Vrsis Card. Camerario administrante, & Ioanne Alperino, Philippo Paloscio, Nicolao Pinciaronio vrbs conseruatoribus, procurantibus, Anno sal. M. CCCC. LXXI. Kal. Ian. XIX.

IN

## IN CAMPO MARTIO.

Lac pueris Lupa dulce dedit non seua gemellis,  
 Sic Vicine LV PV S dat tibi fontis aquam;  
 Qua fluit assidue, qua lacte est dulcior ipso,  
 Purior electro, frigidiorq; niue.  
 Hinc igitur lymphas bene tersa sedulus vrnâ,  
 Et puer, & iuuenis portet, anusq; domum.  
 Fonticulo prohibentur equi, prohibentur aselli,  
 Nec canis hinc, fædo nec caper ore bibat.

## IN ALIO FONTE.

Fundit aquã Eridanus, Phaët on ruit a there ab alto,  
 Temperat iste sitim, temperat iste animum.

IN FONTE ANTE S. MARIAM  
TRANSTIBER.

Quod blando facilem producit murmure somnum,  
 Quæ cadit, & tremulos efficit vnda lacus.  
 Quod sumis pueros haustus, nitideq; lauaris,  
 Instauratori gratia habenda LV PO.  
 Res animumq; suum spectans dic, Romule, verum,  
 An minus hic pater est, quam LV PA mater erat.

IN VIA FLAMINIA SVpra FONTEM  
LYMPHAE MATRI SACRVM.

Si humano ingenio perpetuò viatoribus parari  
 vina potuissent, non amœnum, quem cernis, fontē  
 C. Lepidus magnâ impensa adauxisset. Potâ felix.

## IN PONTE SIXTO.

SIXTVS IV. Pont. Max. ad utilitatem pop. Rom.  
 peregrinæque multitudinis ad Iubilæum venturæ;  
 B Potâ

Pontem hunc, quem meritò ruptum vocabant, à  
fundamētis magna cura & impensa restituit, SIX-  
TVM que suo de nomine appellari voluit. M. cccc.  
LXXV.

Qui transit SIXTI IV. beneficio, Deum roga,  
vt Pontif. O. M. diu nobis saluet ac sospitet. Bene  
vale, quisquis es, vbi hæc precatus fueris.

---

IN S. PETRO IN VATICANO.

IULIUS II. PONTIF. MAX. ædem D. PETRO  
dicatam, vetustate collabentem, in digniorem am-  
pliolemque formam vt erigat, fundamenta iecit  
Anno Christi M. D. VII. Veterem Constantinus  
Imp. ædificauit.

---

EPITAPHIUM AD SEPULCRUM PRO-  
BI, quod debemus MAFFAEO VEGIO Cano-  
nico, qui Versus musco nato desuper  
obductos exactè descri-  
psit.

*Eximij resolutus in atheris aquore tantum  
Carris iter cunctis integer à vitij.  
Nomine quod resonas imitatus moribus aqut  
Iordane ablutus, nunc PROBUS es melior.  
Diues opum, clarumq; genus, præclarus honore,  
Fascibus inlustris, consule dignus aub.  
Bis gemina populos præfectus sede gubernans;  
Has mundi phaleras, hos procerum titulos  
Transcendis senior donatus munere Christi,  
Hic est verus honos, hæc tua nobilitas.  
Letabare prius mensa regalis honore,  
Principis alloquio, Regis amicitias*

*Nunc*

ROMANA.

Nunc propior Christo Sanctorum sedepotitus,  
 Luce noua fruere, Lux tibi Christus adest.  
 Onnunquam deslende tuis cum vita maneret,  
 Corporis atq; artus spiritus hos regetet.  
 Primus eras nulliq; Patrum virtute secundus,  
 Nunc renouatus habes perpetuam requiem.  
 Candida fuscatus nullâ velamina culpâ,  
 Et nouus insuetis incola liminibus,  
 His solare tuos, quanquam solatia mœsta,  
 Gratia non querat, gratia Christe tua.  
 Vuit in aeterna paradisi sede beatus,  
 Qui noua decedens muneris aetherij  
 Vestimenta tulit, quò demigrante Belial  
 Cessit & ingemuit hic nihil esse suum.  
 Hunc tu Christe choris iungas caelestibus orò,  
 Te canat & placidum iugiter aspiciat.  
 Quiq; tuo semper dilectus pendet ab ore,  
 Auxilium soboli coniugioq; ferat.

Fide Annales Card. Baronij Tom. IIII,

EPITAPHIUM PROBÆ PROBI  
 CONIUGIS.

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces  
 Dices, quantus erat qui PROBUS hic situs est.  
 Consulibus, proauis socerisq; & consule maior,  
 Quod geminas consul reddidit ipse domos.  
 Praefectus quartum toto dilectus in orbe,  
 Sed famâ emensus quidquid in orbe hominum est.  
 Aeternos heu Roma tibi qui pòsceret annos,  
 Cur non vota tui vixit adusq; boni?  
 Nam cum sexdenos mensis suspenderet annos,  
 Dilecta gremio raptus in aethra PROBÆ.

*Sed perijisse PROBVM meritis pro talibus abste  
 Credas Roma tuum: viuit, & astra tenet.  
 Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,  
 Parcus opum, nulli largus at ipse fuit.  
 Solamen tanti coniux tamen optima luctus  
 Hoc PROB A sortita est, iungat ut vnā pares.  
 Felix heu nimium felix, dum vita maneret,  
 Digno iuncta viro, digna simul tumulo.*

## NICOLAI V. PONTIF.

*Hic sita sunt quinti NICOLAI Antistitis ossa,  
 Aurea qui dederat secula, Roma, tibi.  
 Consilio illustris, virtute illustrior omni,  
 Excoluit doctos, doctior ipse, viros.  
 Abstulit errorem, quo Schisma infecerat urbem,  
 Restituit mores, mœnia, templa, domus.  
 Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,  
 Sancta Iubilaei tempora dum celebrat.  
 Cinxit honore caput Friderici, & Coniugis aureo,  
 Res Italas icto fœdere composuit.  
 Attica Romana complura volumina lingua  
 Prodidit. en tumulo fundite thura sacro.  
 Sedit annos VIII. D. XIX. vixit annos LXII. M.  
 IIII. D. IX. Philippus Card. Bonon. fratri sanctif-  
 simo pos. Anno M. CCCC. LV.*

## EUGENII IIII.

*EUGENIVS iacet hic Quartus, cor nobile cuius  
 Testantur vitæ splendida facta sua.  
 Istius ante sacros se præbuit alter ab ortu,  
 Alter ab occasu Casar uterq; pedes:*

Alter

Alter vt accipiat fidei documenta latina,  
 Alter vt aurato pingat honore caput.  
 Quo duce & Armenij Graiorum exempla secuti  
 Romani agnorunt, Aethiopesq; fidem.  
 Inde Syri ac Arabes, mundiq; è sinibus Indi;  
 Magna, sed hac animo cuncta minor a suo.  
 Nam validâ rursus Teucros iam classe petobat,  
 Dum petit, ecce illum sustulit atra dies.  
 Qui semper vanos mundi contempsit honores,  
 Atq; hac impressa, condite, dixit, humo.  
 Sed non quem rubro decorauerat ille galero,  
 Non hoc Francisci stirps sua clara tulit.  
 Susceptiq; memor meriti, tam nobile quod nunc  
 Cernis tam prestans surgere iussit opus.  
 Obijt Anno M. CCCC. XLVII. VII. Kal. Martij.

P II II. PONTIF. MAX.

PIVS II. PONT. MAX. natione Tuscus, patria  
 Senensis, gente Piccolominæa, sedit annos VI. Bre-  
 uis Pontificatus ingens fuit gloria. Conuentum  
 Christianorum Mantuæ pro fide habuit. Oppugna-  
 toribus Rom. Sedis intra atque extra Italiam resti-  
 tit. Catharinam Senensem inter SS. Christi retulit.  
 Pragmaticam in Gallia abrogauit. Ferdinandum  
 Arragonensem in regnum Siciliae cis fretum resti-  
 tuit. Rem Ecclesie auxit. Fodinas inuenti tum pri-  
 mum aluminis apud Tolpham instituit. Cultor Iu-  
 stitiæ & Religionis, admirabilis eloquio. Vadens  
 in bellum quod Turcis indixerat, Anconæ decelsit,  
 ibi & classem paratam & Ducem Venetorum cum  
 suo Senatu commilitones Christi habuit. Relatus  
 est in urbem Patrum decreto, & hic conditus, ubi  
 caput Andreæ Apostoli ad se ex Peleponeso adue-  
 ctum

Etum collocari iusserat. Vixit Ann. LVIII. M. IX.  
D. XXVII.

Franciscus Card. Senens. Auunculo sanctiss. F. Anno Domini M. CCCC. LXIV.

---

PAVLI II. VENETI PONTIF.  
MAX.

PAVLVS II. Venetus Pontif. Max. è vetusta Barbarorum familia, præclaris naturæ dotibus, auunculo Eugenio III. non inferior. Iustitiæ, pietatis, diuinarumque ceremoniarum cultor religiosissimus, Ecclesiasticæ libertatis maiestatisque defensor constantissimus, præcipuo pacis seruandæ studio, & singulari omnis generis munerum abstinentia, formidanda etiam lege Magistratibus indicta, clarissimus. In Principes munificentia, in pauperes misericordia insignis. Patrio amore annonæ copiâ vrbi dedit. Patrimonium B. Petri, erratis populorum indulgentis. parentis affectu emendatis & conseruauit & auxit. Furentes armis hæreticis repressit, & quod per difficilem rerum temporumve conditionem effici cum dignitate non poterat, maturâ cunctatione saluberrimè disposuit. Vixit Ann. LIII. M. X. D. XXVI. Sedit Ann. VI. M. D.

Marcus Barbus Card. S. Marci, Patriarcha Aquilegens. consanguineo B. M. pos. Anno salutis M. CCCC. LXXVII.

---

SIXTI IV. PONT. MAX.

SIXTUS IV. Pontif. Max. ex ordine Minorum, doctrina & magnitudine animi omnis memoriæ Principi, Turcis Italia submotis, auctoritate Sedis aucta,

auda, vrbe instaurata, templis, ponte, foro, vijs,  
Bibliotheca in Vaticano publicata, Iubilæo cele-  
brato, Liguria seruitute liberatâ, cùm modicè ac  
plano solo condi se mandauisset, Iulianus Cardin.  
patruo B.M. maiore pietate quàm impensâ F.C.

Obijt Idib. Sext. horâ ab occasu quinta, Anno  
Christi M. CCCC. LXXXIII, Vixit Ann. LXX.  
D. XXI, H. XII.

---

PII III. PONT. MAX.

PIVS III. Pont. Max. à PRO II. Auunculo II.  
& XX. anno natus in Cardd. Collegium adscitus,  
Vrbis ac Piceni Legationibus integerrimè fun-  
ctus, à Paulo II. ad Fredericum III. missus, vt Ger-  
manorum arma in Turcas concitaret, conuentum  
frequentissimum Pontificis morte dissolutum ha-  
buit. Sub Innocentio VIII. Vmbros dissidentes  
pacauit. Casolo Gallorum Regi Italiam irrum-  
penti, ab Alexandro VI. serò admodum obuiam  
missus. Eo mortuo II. & XL. Patrum suffragijs Pon-  
tifeus creatus, dum de restituenda in pristinam ma-  
iestatem Christiana Repub. ac Vrbe agit, vi. & xx.  
die, è tanta expectatione rerum publico om-  
nium luctu decessit. Eloquio, prudentia, Religio-  
ne, innocentia & grauitate domi forisque insignis,  
In dicendis in Senatu sententijs liber & grauis.  
Vixit ann. LXIII. M. v. D. x. Obijt ann. salutis M. D.  
LII. xv. Kal. Nonemb.

Iacobus & Andreas fratri  
sanctiss. pp.

B 4

LEO.



## LEONIS X. PONT. MAX.

LEONIS X. PONT. MAX. DEPOSITVM.

*Delicia humani generis LEO maxime, tecum  
Vt simul illuxere, interiëre simul.*

*Corpus postea ad B. Marię super Mineruam translatum est.*

## CLEMENTIS VII. PONT.

MAX.

CLEMENTIS VII. Pontif. Max. cuius inuicta  
virtus sola clementia superata est. Obijt Anno M.  
D. XXXIII. VI. Kal. Octob. Sedit ann. X. A. X. D. VIII.

*Ad S. Marię super Mineruam nunc iacet.*

## PAVLI III. PONT. MAX.

*Discite mortales fluxa vt sit gloria mundi,  
Vt terrena breui tempore regna ruant.*

*Qui Petri nuper sacrata in sedi sedebam,  
Dum tegetet nostrum sacra Tiar a caput;*

*Qui potui dudum populis dare iura subactis,  
Ante meos Reges procubuer e pedes.*

*Maximus & Cesar pedibus dedit oscula nostris,  
Numen vt in terris iam veneratus eram.*

*Tertius hic gelido condor sub marmore PAVLV S,  
Continet hac cineres nunc breuis vrna meos.*

*Pontificem gessi summum ter quinque per annos,  
Tempestiua senem me Libitina rapit.*

*Funera non lacrimis mea sunt spargenda, peregi  
Natura cursum, mors noua vita fuit.*

Obijt anno M. D. XLIX. IIII. Idus Nouemb.

LAV-

ROMANA.

LAURENTII FLORENTINI  
SCULPTORIS.

*Roma mihi tumulum tribuit, Florentia vitam,  
Nemo alio vellet nasci & obire loco.*

IN S. PETRI AD VINCVLA.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO Episcopo Carpentora-  
ctis, S. R. E. Presb. Card. Viro morum grauitate,  
prudencia & vitæ integritate præstantis. doctrina  
& eloquentia cum ijs, quos mirata est antiquitas,  
comparando: Paulus Sadoletus Episcopus Carpen-  
toractis, & Camillus Sadoletus fratrum filij mœ-  
stissimi, multis cum lacrymis patruo B. M. pro tem-  
pore Poss. Vixit ann. LXX. M. III. D. VI.

IBIDEM.

NICOLAUS DE CVSA Treuer. S. Petri ad Vin-  
cula Card. Brixien. Episcopus Tudertinus, obiit M.  
CCCC. LXIV. XI. Augusti ob deuotionem catena-  
rum S. Petri hic sepeliri voluit. Dilexit Dominum,  
timuit & veneratus est, ac illi soli seruiuit, promif-  
sio retributionis non sefellit eum. Vixit ann. LXIII.

IN S. MARIA MAIORI IN ESQVILINO.

D. O. M.

FRANCISCO TOLETO Cordubensi, S. R. E.  
Presb. Card. summo Theologo, Verbi Dei prædi-  
catori eximio, in rebus magnis agendis consilio &  
prudencia singulari, qui ob excellentem virtutem  
& meritâ præclaro Clementis VIII. Pont. Max. iu-  
dicio primus in Societatem IESV amplissimam di-

B 5

gnita-

gnitatem inculit.

Vixit ann. LXIII. M. XI. D. X.

Obijt anno M. D. XCVI. die XIV. Sept.

Sancta Dei Genitrice hærede institutâ, presbyteris qui ad eius altare Missas celebrent censum perpetuò attribui iussit. Benedictus Iustinianus & Petrus Aldobrandinus Card. Executores Testamentarij Collegæ opt. & Capitulum & Canonici huius Capituli viro ampliss. & optimè de se merito pos.

D. O. M.

PROSPERO SANCTACRUCIO S. R. E. Card. Episcopo Albanensi: qui ob eximias animi ingenijque virtutes, post primaria Palatina officia & Ecclesiasticas dignitates à Pio I V. P. M. Cardin. creatus, legationib' Germanica, Lusitanica, Hispanica, & Gallica bis flagrante intestino bello, prouincia egregia cum laude functis, maximisque toto vitæ cursu pro Repub. susceptis laboribus, Obijt ætatis anno LXXVI. Salutis M. D. LXXXIX. Marcellus Sanctacrucius Valer. F. ex fratre nepos posuit.

IN SACELLO PII V. PONT. MAX.

Solum Turcarum Tyrannum multis insolentem Victorijs, ingenti parata classe, Cyproque expugnata, Christianis extrema minitantem, PIVS V. fœdere cum Philippo II. Hisp. Rege ac Repub. Veneta inito, M. Antonium Columnam Pontificiæ classi præficiens, ad Echinadas hostibus XXX. mill. cæsis, X. mill. in potestate redactis, triremibus CLXXX. captis, XC. demersis, XV. mill. Christianis à seruitute liberatis, precibus & armis depicit.

IBI-

## IBIDEM AD SINISTRAM.

Galliam, Carolo IX. Rege, perduellium hæreticorumque nefarijs armis vexatam, vt de Regno de- que religione actum videretur, PIVS V. Sfortiæ Comitis Sanctæ floræ ductu, missis equitum pedi- tumque auxiliarijs copijs, periculo exemit: ho- stibusque deletis victoriam exportauit. Regi Re- gnum cum religione restituit. Signa de hostibus capta ad Lateranensem Basilicam suspendit.

## PIO V. PONT. MAX.

*Ex Ord. Prædicatorum,*

## SIXTVS V. PONT. MAX.

*Ex Ord. Minorum,*

GRATI ANIMI MONVMENTVM  
posuit.

PIVS V. gente Gisleria Boschi in Liguria na- tus, Theologus eximius, à Paulo III. in Insubria hæreticæ prauitatis Inquisitor, à Iulio III. S. In- quisitionis officij Commissarius generalis; à Paulo IV. Episcopus Sutrinus, deinde S. R. E. TT. S. Ma- riæ super Mineruam Presb. Card. & à Pio IV. Ec- clesiæ Montifregalis in Subalpinis administrator factus; eo vitâ functo, summo Cardinalium con- sensu Pontif. Max. creatur. qui veteres sanctos Pontifices æmulatus, Catholicam fidem propaga- uit, Ecclesiasticam disciplinam restituit: tandem gestarum rerum gloria clarus, dum maiora molit- ur, totius Christianæ Reipubl. dâmno nobis eri- pitur, Kal. Maij M. D. LXXII. Pontif. anno VII. ata- tis suæ LXVIII.

EIVS.

ROMANA.

• EIVSDEM EPITAPHIVM IN S. AN-  
DREAE SACELLO ANTE CORPORIS  
*translationem.*

PIVS V. PONT.

• Religionis ac pudicitiae vindex,  
Recti & iusti assertor,  
Morum & disciplinae restaurator,  
Christianae rei defensor.  
Salutaribus editis legibus,  
Galliam conseruatam,  
Principibus foedere iunctis,  
Partam de Turcis victoriam,  
Ingentibus ausis & factis,  
Pacis bellique gloria,  
MAXIMVS,  
PIVS, FELIX. OPT. PRINC.

IBIDEM.

*Petra PETRVM tegit hac, animamq; fouet petra  
Christus,*

*Sic saluum retinet viraq; petra PETRVM.*

PLATINAE.

Quisquis es (si pius) PLATINAM & suos ne ve-  
xes, angustè iacent, & soli volunt esse Demetri a-  
lumni. Moritur anno M. CCCC. LXXXI.

Frederico III. Rom. Imp. & Sixto IV. Pontif.

*Qui res Pontificum sacras, & gesta piorum,*

*Quiq; Ducum vitas nobile fecit opus:*

*Quiq; modum docuit, quo laudet honesta voluptas,*

*Et quo ne iuuenes torqueat acer amor:*

*Plur aq; qua longum est properè censere, Viator,*

*Omnia sidere a pignora mentis erant.*

*Viuit*

Vinit adhuc PLATINA, & quanquã cõcesserit Orco,  
Nil tamen in Vatem Parca seuerapotest.

PROSPER SPIRITEVS amico pos.

IN S. MARIAE SVpra MINERVAM,  
olim Minervæ.

PAVLI IV. PONT. MAX.

IESV CHRISTO SPEI ET VITAE FIDELIVM;

PAVLO IV. CARRAFÆ Pont. Max. Eloquẽtia, doctrina, sapientia singulari, innocentia, liberalitate, animi magnitudine præstantiss. scelerum vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, PIVS V. Pont. Max. grati & pij animi monumentum pos. Vixit ann. LXXXIII. M. i. D. xv. Obijt M. D. LIX. Kal. Septemb. Pontificatus sui anno v.

IBIDEM.

Hic quiescit IOANNES DE TURRE CREMATA, Episcopus Sabinens. S. R. E. Card. S. Sixti, qui obijt xxv. Sept. Anno M. CCCC. LXV. R. I. P.

EIVSDEM TESTAMENTVM IN SACRISTIA PRO PVELLIS PAVPERIBVS.

*Ne malè patrãndis stupris, quòd auarã merendo*

*Forma puellaris sæpè coegit inops.*

*Annua pauperibus stips est hic pensa viritum,*

*Dosq; maritatis condita virginibus.*

*Munus & officium sancti celebrate Quirites,*

*Cùm vicena venit Martia quinta dies,*

*Terrestri vt censu cœlestia regna paretis,*

*Pollicita & vobis centupla messus erit.*

FRAN

## FRANCISCI NERI.

*Qui nunquam in curis consumpsit inanibus auum,*  
 FRANCISCVS NERVS clauditur hoc tumulo.  
 Vixit ann. LXXVI. Obijt IV. Id. Iulij M. D. LXIII.

D. O. M.

STANISLAO HOSIO Polono, S. R. E. Presb.  
 Card. Varmieni Episc. maiori Pœnitentiario, vitæ sanctitate, eruditionis  
 & eloquentiæ gloria  
 celeberr.

Catholicæ fidei acerr. propugnatori, qui cum  
 antiquæ probitatis & Episc. vigilantæ  
 præstantiam in humilitate, ca-  
 ritate, castitate, benefi-  
 centia expressisset,

Hæret. sectas, scriptis & consilijs Sapientis.  
 feruenter oppugnasset, multos ab er-  
 roribus reuocasset, grauis. Q.  
 legationibus pro pace  
 Ecclesiæ Dei,

eum apud Carolum V. & Ferdin. Cæs. tum  
 præcipue in S. Concil. Trident. P II IV. Pont.  
 nomine felicis. perfunctus, Christianæ  
 Reipub. plurimum profuisset, om-  
 nium virtutum laudibus & ex-  
 emplis ad imitandum ab-  
 undans,

obdormiuit in Dom. Non. Aug. ann. salutis  
 M. D. LXXIX. ætatis suæ LXXVI. Stanislaus  
 patruo, & Stanisl. Rescius patro-  
 no beneficentis. execut.  
 testam. poss.

D. O. M.

ROMANA.

D. O. M.

PETRO BEMBO Patricio Veneto, ob eius singulares virtutes à Paulo III. Pontif. Max. in sacrum Collegium cooptato, Torquatus Bembus P. Obijt xv. Kalend. Feb. CIO. IO. XLVI. Vixit annos LXXVI. M. VII. D. XXVIII.

*Hic BEMBUS iacet Aonidum laus maxima Phœbi,  
Cum Sole & Luna vix periturus honos.*

*Hic & fama iacet spes & suprema galeri,  
Quam non vlla queat restituisse dies.*

*Hic iacet exemplar vite omni laude carentis:  
Summa iacet summâ hic cum Pietate Fides.*

D. O. M.

NICOLAO ARDINGHELLO Florentino primariæ nobilitatis viro, quem Iuris vtriusque consultissimum, omnisque virtutis ac sapientiæ laude præstantem ad Episcopatum Forosempronien. prouectum, cum Paulus III. Pontif. Max. Piceno primùm cum honore Vicariæ legationis imponeret, deinde supplicum libellis præficeret, demùm in sacrum Cardinalium Collegium adoptaret, tituloque S. Apollinaris insigniret, non tam hominem quàm honorem cohonestare visus est. Annos natus IV. & XL. in medio virtutum & honorum curriculo ereptus acerbum sui desiderium reliquit omnibus x. Kalend. Septembr. M. D. XLVII.

Alexander Ruspolus Bartholomæi & Mariæ Ardinghellæ F. ob memorem erga consanguineum optimum voluntatem P. Anno post conditam salutem M. D. C. I.

BENE



ROMANA.

BENEDICTI PATRICII VENETI.

*Viuite mortales; cura, quot viuitis annos,*

*Non sit; sed, vobis quam benè vita fluat.*

*Obijt anno M. CCCC. XCV. VI. Non. Iulij.*

*Aetatis XLVIII. M. VII. D. XV.*

M. ANT. MVRETVS C. R.

*Sic mea naturam manus est imitata, videri*

*Posit vt ipsa meas esse imitata manus.*

*Sapè meis tabulis ipsa est delusa, suumq;*

*Credidit esse, mea quod fuit artis opus.*

*Miraris, dubitasq;? audito nomine credes.*

*Sum RAPH AEL, hei mi, quid loquor? immò fui.*

*Et tamen his dictis quid opus fuit addere nomen?*

*Alterutrum poterat cuilibet esse satis.*

*Nam mea & audito est notissima nomine virtus,*

*Et prestare vicem nominis ipsa potest.*

I V L I I.

*Patria Roma fuit, Gens Portia, Nomen I V L V S.*

*Mars puerum instituit, Mors iuuenem rapuit.*

GABRIELIS TRIVISANI.

*Lustrandi studio veterum decora alta Quiritum*

*Veni, pro hospitio Roma dedit tumulum.*

*Forma, anni, mores, patrie genus, & Pater, & res*

*Aequa mihi; mors hac risit, & abripuit.*

IN SANCTA MARIA DE ANIMA,

*Templo Germanorum,*

D. O. M.

MADRIANO VI. PONT. MAX. ex Traiecto  
infig

infigni inferioris Germaniæ vrbe, qui dum rerum  
 humanarum maximè auersatur splendorem, vtrò  
 à proceribus ob incomparabilem sacrarum disci-  
 plinarum scientiam, ac propè diuinam castissimi a-  
 nimi moderationem, Carolo V. Cæs. Augusto præ-  
 ceptor, Ecclesiæ Dertusensis Antistes, sacri Senatus  
 Patribus collega, Hispp. Regis Præses, Reipublicæ  
 denique Christianæ diuinitus Pontifex absens ad-  
 scitus, Vixit Ann. LXIV. Mens. VI. Dies XIII. De-  
 cessit XIX. Kal. Octob. Anno à partu Virginis M.  
 D. XXIII. Pontificatus sui anno II.

VVilhelmus Enkefortius illius benignita-  
 te & auspicijs tit. S. Ioannis & Pauli Pres-  
 byter; Card. Dertusensis faciend. curauit.

PROH DOLOR, QUANTVM REFERT, IN  
 QVAE TEMPORA OPTIMI CVIVSQ. VIR-  
 TVS INCIDAT!

IN EFFIGIEM, VITAM, ATQVE OBI-  
 TVM HADRIANI VI.

Vltraiectini Belgæ, Pont. opt. max.

*Quæ facies tam dia viri? Sextine Adriani?*

*Hoc ita, quo functus munere? penè Dei. (mus,*

*Quis dedit hunc? humili TRAIECTVM stirpe, supre-*

*Sed cui mox domina traditus vrbis apex.*

*Qui docuere virum? GRVDII, Belgi orbis Athena,*

*Hic vbi Gymnasium condidit ille nouum.*

*O bene! Sed tenui quis opes suffecit & aurum*

*Discipulus CAESAR Carolus Austriades.*

*Qui pius & gratus, Pellai more Monarcha,*

*Rectorem hunc voluit nosset vt omnis IBER.*

C

Nonie

*Novit, & inde sacra radiantem luce Tiara  
Pontificem LATII percoluere Patres.  
Omnia sic vnum decorarunt maxima BELGAM,  
Traiectum, Grudij, Cesar, Iber, Latij.*

Maximilianus Vrintius  
S. P. Q. Gand. à secretis.

## ANONYMI.

*Quo Romanorum Sextus Pater atque Sacerdos,  
Hoc etiam Pietas conditur in tumulo.*

## ALIVD.

HADRIANVS VI. hic situs est, qui nihil sibi  
infelicius in vita duxit, quàm quod imperaret.

ANTE CORPORIS TRANSLATIO-  
NEM IN D. PETRI IN VATICANO.

*Insignis Pietas tua, HADRIANE,  
Viuenti tibi profuit, decusq;  
Aurei diadematis parauit.  
Iure id me hercle, at equius, tuaq;  
Certius Pietatis hoc trophæum est,  
Defunctus quod honoribus tot, inter  
Duos contigerit PIOS iacere.*

## IBIDEM IN SACELLO S. CATHARINAE.

## SEDENTE PAVLO II.

DOMINICO CAPRANICENSI TT. S. † in  
Hierusalem, Presbytero Card. Antistiti Firmano,  
maiori poenitentiario, XII. Apostolicis legatio-  
nibus claro, Pacis Italicae in annos XXV. constitu-  
tori,

tori, doctrina, religione, & sanctis semper operibus admirabili.

ANGELVS eiusdem TT. Card. vnanimi fratri ac sibi comune Mon. hoc fecit. Vixit idem DOM. Ann. LVIII.

---

BLONDO FLAVIO

FOROLIVIENSI historico celebri, multorum Pont. Rom. Secretario fidelissimo, Blondi quinque filij patri bene merenti vnanimes posuere. Vixit ann. LXXI. Obijt prid. Non. Iun. Anno salutis M. CCC. LXIII. Pio Pontif. max. sibi natisque fauente.

*Fui non sum. Estis non eritis. Nemo immortalis.  
Moriens vt viueret, Vixit vt moriturus.*

---

D. O. M. S.

FRANCISCVS ORANVS Franc. F. Leodicen. Patricius in hac arce terrarum S. E.

eam per annos plures incoluit, atque ipsa eum coluit

in Duodecemuirali Rota Senatorem:  
quod munus annos XVII. sustinuit,  
cum qua peritia, integritate & laude  
ipsam roga:

fama communis non mentitur.

Inclaruit & legatione duplici in Germaniam  
super arduis rebus;

& potuit dignitatibus adijcere  
sed mors manum iniecit

nondum maturo & nato annos LIV.

non sine publico sensu,

& parentis fratrumque luctu

C 2

qui

qui absentes monumentum hoc  
optimè merito P. S. P. P.

Obijt XIV. Kal. Augusti, anno CIO. IO. XCIX.

*Habes, abito, aut paululum etiam sistito,*

*Ore atq; corde etiam precare mortuo.*

---

D. O. M.

**F** ALEXANDRO IVNIO Antuerpiensi, quod oppidum est in Belgis nobilissimum, honestis. parentibus nato: Romæ ob virtutem ad honores uecto, & auditoris sacri Palatij munere integerrimè functo, hæ redd. P. P. Vixit ann. xxx. M. xi. Obijt v. Kal. Octob. An. M. D. LVIII.

*Roma peregrino magnos mandâr at honores,*

*Quos immaturo funere mors rapuit.*

*Disce meo exemplo virtuti premia nunquam*

*Deesse, sed & quouis tempore disce mori.*

---

IBIDEM.

**V**ILHELMO ENCKEVORTIO S. R. E. Presbytero Card. pluribus Romanæ Reipub. Magistratibus, & Germaniæ procuratore integerrimè functo, ab HADRIANO VI. Pont. Max. cuius item res administrauerat libellis dandis, & Ecclesiæ Dertusens. præfectus, & in Cardinalium Collegiû claro beneuolentiæ iudicio, translatis in eum pristinae suæ dignitatis insignibus, solus coopertus. Deinde etiam à Clemente VII. Ecclesiæ Traiectensi honestatus est. Carolo V. Imp. Iubentissimus, cum ab illo coronam Imperij accipiens, inunctus est: qui que beneficiorum memor HADRIANI cadauer è Petri Basilica in hanc ædem (cuius construenda & ornanda adiutor fuit) sepulcro posito transferri

ferri curauit. In egenos & in omnes homines beneficentissimus.

Ioan. Dominicus Tranenf. Antonius Sanctseuerinus, Card. & P. Voestrius Episcopus Aquës. Andr. Castillo scriptor Apostolicus ex testam. P.P.

Vixit ann. LXX. obiit anno M. D. XXXIV.

## IBIDEM.

*Si benedicta fui, benedictus & vndiq; si me,  
Inter & electos sum benedicta Deo.  
Cur me stes fili? morimur non demq; cuncti?  
Non moribunda fui, non moriturus ades?  
Fle, ste te miserum, fle, ste tua crimina, fle, ste,  
Quod procul à patria sumq; sepulta mea.  
Improba sed si Mors nos corpore falce diremit,  
Nos animo nunquam dissociabit amor.*

## D. O. M.

D. IOANNI GROPPERO, Religionis fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles summis cum periculis pro Ecclesiæ ac Religionis conseruatione, magno semper & inuicto animo, exantlatos labores, multaque præclara literarum monumenta edita, ob perpetuam Fidei Pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam summasque virtutes, absenti nec quidquam minus cogitanti in sacrum S. R. E. Cardinalium Collegiũ cooptrato, præmatura adhuc morte, & quando sui opera inprimis desiderabatur, ex humanis erepto, fratri pijssimo atque opt. mer. Godefridus & Casparus Gropperij fratres moestifs. P.P. Vixit ann. LVII. D. XVIII. Obijt vii. Id. Mart. ann. M. D. LVII.

*Alfonſus Ciaconius in Vita Pontificum, ſcribit G R O P A  
P E R V M Pontifici Pau'o I I I I. gratias egiffe, & purpuram  
remiſſiſſe, redditâ facti ratione. Obijt Colonia, in Metropolitana  
Eccleſia ſepultus, Romæ tamen legitur præcedens inſcriptio.*

## IBIDEM.

GREGORIO ALBERTONIO raræ indolis  
puero, Onuphrius & Iulia parentes mœſtiſſimi, fi-  
lio vnico dulciſs. ac B. M. P. P. Vixit ann. XII.

*Blandidulus, nitidus, dulciſſimus, vnicus infans,*

*Matris delicia, deliciaq; Patris,*

*Hic tegitur raptus teneris GREGORIVS annis.*

*Vt roſa quæ ſubitis imbribus icc'a cadit.*

## D. O. M.

HENRICO GRAVIO, eximiæ probitatis ſpe-  
ctatæque eruditionis viro, quem poſt quatuor lu-  
ſtrorum in florentiſs. Louaniensî Academia S. Th.  
publicam profeſſionem Sixtus V. Pont. Max. inſig-  
nis eruditionis ergò Romam euocauit, Gregorius  
XIV. in Pontificiam aulam excepit, ſed ampliiori-  
bus dignum honoribus Chriſtus in cælum euexit  
die II. Aprilis, Anno Dom. CIO. IO. XCI. ætatis  
ſuæ LV.

CAROL. FRID. DVCIS CLIVENSIS  
ET IVLIAE.

CAROLVS FRIDERICVS, Iuliæ, Cluiæ, &  
Möntium Dux, Marchiæ & Rauenspergi Comes,  
Rauenſteini Dominus, ingenio, ac ſupra ætatem  
rerum & linguarum vſu, ſingulariq; in Deum pie-  
tate clarus, Gregorio XIII. Pontif. Max. ad annum  
Iubilæum Chriſtiani orbis populos conuocante,  
poſt

post acceptos in auunculi sui Maximiliani II. Cæs. Augusti aula, alijsque in locis varios honores, religionis & optimarum disciplinarum studio Romam veniens, magnificeptis. ab eodem Pont. Max. excipitur, reclusa porta sancta. In solemnibus sacris gladio pileoque de more consecratis ab eodem Pontifice honestatur. Omnibus Christianæ pietatis officijs perfunctus, sanctissimi Iubilæi beneficio expiatus, dum ad suos redire cogitat, graui morbo correptus, in terris, vt cælo frueretur, esse desijt. Eius funus Pont. Max. benigna voluntate, qua venientem exceperat, ægrotantem inuiferat, cum ingens omnium Ordinum, Collegiorum, Sodalitatum frequentia conuenisset, amplissimis exequijs & pompâ magnificâ, totius vrbis summo mœrore, ac incredibili desiderio celebratum. Consummatus in breui expleuit tempora multa; Placita enim erat Deo anima illius.

Guilielmus Dux filio dulciss. maiori natu  
fac. cur. Vixit ann. XIX. dies XII. Obijt anno  
M. D. LXXV. Id. Febr.

## D. O. M.

VALERIO CORDO Simesusio, Eurici Medici & Poetæ F. integritate, moribus, ingenio, comitate præstantissimorum doctorum omnium administrationem merito, qui naturæ obscuritatem & herbarum vires adhuc adolescens senibus explicauit. Cum expleri cognoscendi cupiditate non posset, perlustratâ Germaniâ, Italiâ adijt; Venetijs in honore habitus, & Romam vix ingressus, crudelissima febre, inter amicorum lacrimas non recuperabili studiorum iacturâ



Sturá florente ævo extinguitur, anno ætatis suæ  
xxxix. Homini optimè merito socij Germani pietatis  
ergò PP. Anno salutis humanæ M. D. XLIV. VI.  
Kal. Oct. hora 5. noctis.

*Ingenio superest CORDVS, mens ipsa recepta est  
Cælo; quod terra est, maxima Roma tenet.*

## IBIDEM.

*Noscere Pæonias herbas, viresq; medendi,  
Iam natura, homini facta nouerca, negat.  
Inuidiosa Macri rapuit monumenta vetustas,  
Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.  
Hunc extinctum igitur vita florentibus annis  
Tam procul à patria, Crimen Apollo tuum est.  
Lilia sic, violaq; cadunt, absinthia florent;  
Quanta eheu rebus damna parata bonis?  
Italia huic tumulum, tribuit Germania vitam;  
Quid poterat nasci, clarius, atq; mori?*

## IBIDEM.

*Scio, remeare datum nulli post iusta: daretur  
Si mihi, sim nullus, si remeare velim.  
Ætates omnes defunctum sera vocauit  
Mors; reliquum vita quid, nisi pœna, fuit?  
Sanctè si Musas colui, fortasse sepultus  
Vita inter viuos nunc meliore fruor.*

## IN S. IOANNIS IN LATERANO.

IN TVMVLO AENEO MARTINI V. PONT.  
MAX.

MARTINVS V. PAPA, sedit PP. per annos  
xiii. M. iiii. D. xii. Obijt anno M. cccc. xxxi. die  
xx. Februar. Temporum suorum felicitas.

LAV-

## LAURENTIO VALLAE.

Harum ædium sacrarum Canonico Alfonsi Regis & Pontif. Max. Secretario Apostolicoque scriptori, qui sua ætate omnes eloquentiâ superavit, Catharina mater filio pientiss. Pos. Vixit annos L. Obijt anno M. CCCC. LXV. August. Kal.

*LAURENS VALLA iacet Romana gloria lingua,  
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.*

## ANONYMI.

*Tandem VALLA iacet, solitus qui parcere nulli est  
Si queris, quid agat, nunc quoque mordet humam.*

Dum Bartholomæus Facius VALLAE inuisus mox quoque moreretur, quidam falsè in vtrumque hoc carmen iussit.

*Nevel in Elysijs sine vindice VALLA susurret,  
FACIVS haud multos post obit ipse dies.*

## D. O. M.

LVCIO SAXO Neapolitano tit. SS. Quirici & Iulittæ, S. R. E. Presb. Card. qui V. C. Marij Saxi patris sui quondam CAROLI V. Aug. in regno Neapolitano Confiliarij, ab eodemque ad varias regêdas prouincias adhibiti laudes æmulatus, cum se iuuenis Romam contulisset, ob doctrinam atque prudentiam inter Iustitiæ Referendarios à Iulio III. P. M. Gratix à Pio IV. adscriptus, primusque ad Episcopatum Ripæ Transonis à Pio V. prouectus, sacræ inde Pœnitentiariæ à Gregorio XIII. præpositus, ac Sacrosanctæ huius Lateranens. Ecclesiæ per annos ferè xx. Vicarius, ab Urbano VII. Datarius creatus, in eodemque munere à duobus sequenti-

bus Pontificib. Greg. XIV. & Innocentio IX. confirmatus, tandem à Clemente VIII. sola assiduorū pro Apostolica Sede laborum inspectione, prima lectione vnā cum Illustris. nepotibus nominationis prærogatiua in amplissimum ordinem adscitus, non minus ex eo accepit quàm eidem contulit ornamentis.

Marius Saxus Fabij F. hères patruo opt. mer. atq; omni honore digniss. Pos. Vixit ann. LXXXII. M. IV. D. VIII. Obijt prid. Kal. Martij anno M. DCIV.

## ANONYMI.

*Vixi quod volui, semper benè pauper, honestè:  
Nullum fraudauit, quod iuuat ossa mea.*

IN AEDE D. ANTONII DE PAVIA,  
IN CAMPO MARTIO, NATIONIS  
*Lusitania.*

D. O. M.

MARTINVS AB AZPILCVETA Nauarrus H. S. E. Diuini humanique Iuris consultiss. qui Salmaticæ primū, deinde Conymbricæ, fauētibus Portugalliae Regibus, Ius Pontificium docuit. Romam profectus, PIO V. GREGORIO XIII. SIXTO V. PP. MM. carus, omnibus nationibus gratus, huic Xenodochio beneficus. Obijt XI. Kal. Iulij M. D. XXCVI. aetatis anno XCIV. M. VI. D. VIII. Multis doctrinae suae peruulgatis monumentis, Martinus Zuria auunculo B. M. Pos.

## ANAGRAMMA.

MARTINVS AB AZPILCVETA.  
BEATVS IN CAELVM ASPIRAT.

IN-

INSCRIPTIO TEMPLI SOCIETATIS  
IESV.

ALEXANDER FARNESIUS Card. S. R. E. Vicecancellarius, Pauli III. Pont. Max. nepos, cuius auctoritate SOC. IESV recepta primùm fuit, & decretis amplissimis ornata, Templum hoc suæ monumentum & religionis & perpetuæ in eum ordinem voluntatis funditus extruxit. An. Iubilæi M. D. LXXV.

*In templo ante Aram maximam.*

ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS  
S. R. E. VICECANCELL.  
EPISCOPI OSTIENSIS  
HUIUS ECCLESIAE  
FUNDATORIS.

*Hic dum templa Deo ponit FARNESIUS heros,  
Sedem illi æthere aponit in arce Deus.*

D. O. M.

BENCIVS hic situs est Musarum maxima cura,  
Orator, Vates, Rhetor & Historicus.  
MVRETI auditor, tantum quo sapè Magistrum  
Discipulo memorant complacuisse sibi.  
Qui passu propiore Ducis vestigia magni  
Dum sequitur, dedit hos Calliopeia sonos:  
Carmine & Eloquio minor vno hoc BENCIVS esto:  
At reliquis maior BENCIVS esto meus.

Obijt Anno M. D. XCIV.

IN

## IN S. MARIAE DE PACE.

ANTE ARAM MAXIMAM.

Perpetuæ Virgini Genitrici Dei MARIAE, salutis Pontificis restitutæ auctori INNOCENTIVS VIII. Pont. Max. ex deuotione pos.

## MARCI MVSURI CRETENSIS.

MVSURE ô mansure parum, properata tulisti  
Præmia, namq; curo tradita, rapta cito.

Claruit sub Leone X. Pont. Max.

Antonius Amiternus MARCO MVSURO Cretensi, exactæ diligentæ Grammatico, & miræ felicitatis Poetæ POS.

*Quæ sola Eloquij superabat gloria, & illam  
Perdidimus, tecum vixit & interijt.*

PETRI MARSI.

## IULII SATVRNI.

Patris erat quondam spes & solamen IVLVS,  
Nunc desiderium mortuus & lacruma.

## IN S. MARIAE DE POPVLO.

IN ARA.

## DIVO LAURENTIO MARTYRI S.

LAURENTIVS Episcopus Albanens. Card. Beneuentanus, ne mors deuotionis affectum præueniret, facellum hoc dicauit, ditauitque.

## HERMOLAI BARBARI.

Barbariem HERMOLEOS Latio qui depulit omnem  
BARBARVS hic situs est, vir aq; lingua gemit.

Vrbs

*Vrbs Venetum vitam, Mortem dedit incluta Roma;  
Non potuit nasci, nobiliusve mori.*

Obijt anno M. CCCC. XCIV.

ALIVD PER IVL. CAES. SCALI-  
GERVM.

*Quid primum, quid postremum, quid deniq; dicam?  
Quid sileam? en instant cuncta parata simul.  
Maxima nobilitas, facies diuina, supremum  
Ingenium, sancta pectora, pura manus.  
Solum id quod nunquam fuerit, nesciuerat: immd  
Hoc, at cum causis, non fore sciuit item.  
Vnicus è caelo cecidit, non tertius astris,  
Integer vt cecidit, integer astra petit.  
Heu, heu, cur iuuenem rapuit mors inuida? vno  
Principis haud poterat nomine ROMA frui.*

FELIS MORSV MORTVI.

*Hospes disce nouum mortis genus, improba felis  
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.*

ALIVD INCERTAE POSITIONIS.

*Quem niue nocte peto, nucis hic me stipite cadit,  
Sic mihi nix, nox, nux, nex fuit ante diem.*

IOAN. CONSTANTINOP,  
PROT. APOSTOL.

*Vis tibi post mortem firmas promittere sedes?  
Ante oculos semper fulmina mortis habe.*

D.O.M

ROMANA.

D. O. M.

IOANNI BAPT. PALLAVICINO  
Genuensi

S. R. E. ad titulum S. Apollinaris,  
Card. Cauallicensi,  
Antoniotti Card. S. Praxedis  
ex fratre Nep.

Eximia Iuris scientiâ, & bonarum litter.  
cognitione præstanti.

Per omnes forensium dignitatum gradus  
ad Cardinalatum euecto.

A Leone X. Hadriano VI. Clemente VII.  
ad summas res adhibito.

In medio honorum cursu  
immatura morte prærepto.

IOAN. BAPT. vtr. sign. refer. &  
BABILANVS PALLAVICINI fratres  
Patruo magno

bene de familia merito  
memoriæ causa P.P.

M. D. XCVI.

Vixit ann. XLIV. Obijt anno salutis M. D. XXIV.

Idib. Augusti.

D. O. M.

IO. HIERONYMO ALBANO Bergomati, Card.  
I. C. generis nobilitate, morum elegantia, vitæ  
splendore, monumentis ingenij doctrinæq; clariss.  
Reipubl. Venetæ Collaterali generali, matrimo-  
nio ac cœlibatu, asperis ac secundis rebus æquè  
probato, Catholicæ religionis egregio dictis fa-  
ctisque assertori ac vindici, ob eas res à PIO V.  
summo Pôtifice difficillimis pop. Christiani tem-  
poribus in Collegium Cardinalium adscito, in  
sen-

sententijs dicendis facundia, gravitate, sapientia  
singulari. Extrema iam ætate pios inter amplexus  
carorum & oscula sensim extincto,

Io. Dominicus Cæs. Comes parenti opt.  
mer. P. C.

Vixit ann. LXXXIII. Ob. vi. Kal. Maias,  
Anno sal. M. D. XCI.

## IBIDEM.

LVDOVICO LVCENAE Hispano, qui præter  
cæteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc  
maximam coluit, vt omnibus assiduè benefaceret,  
& neminem ob id sibi deuinctum esse vellet.

## IBIDEM.

HORTENSIAE AGAZARIAE MELINAE  
Vxori vnanimi, concordi, dulciss. Petrus Melinus  
coniux desolatissimus, mœroris sui monumentum  
POS. Vixit ann. XIX. M. II.

*Méne fugis, nec car a sequor te HORTENSIA? plus te  
Pecco ego. te cogit fatum, ego lege vector.  
Hoc rumpi non posse Dei docuere, sed illam  
Si qua via est, si angî posse docebit Amor.*

## IN S. MARIA TRANSPONTINA.

IVLIVS hic tegitur COSSVS Romanus in vrna,  
Cui roseus sacro vertice fulsit apex.  
Quo viuente olim victricis gloria Roma  
Viuerè visa fuit, quo moriente mori.

## IN S. MARIA IN VIA NOVA.

GREGORIO XI. LEMOVICENSI, humanita-  
te & doctrinâ pietateque admirabili, qui vt Italiae  
sedi-



seditionibus laboranti mederetur, Sedem Pontificiam Auenionem diu translata, diuino afflatus numine, hominumque maximo plausu post ann. Lxx. Romam feliciter reduxit, Pontificatus sui anno VII. S. P. Q. R. tantæ religionis & beneficij non immemor, Gregorio XIII. Pont. Opt. comprobante, anno ab orbe redempto M. D. LXXXIV. POS.

Obijt anno M. CCC. LXXVIII. VI. Kal. Apr. circa secundam noctis horam, Pontif. sui anno VII. M. II. D. XXIX.

---

IN MONASTERIO S. GREGORII  
IN COELIO.

D. O. M.

IOAN. FRANC. POGGIO Florentino, cum Virtute ac Constantia, morum grauitate, vitâ integerrimè actâ, paternâ suâque laude, eloquentiæ ac literarum, Iuris quoque Ciuilis & Pontificij diuinæque scripturæ cumulata doctrina, religiosè viuenti, religiosius supremo die functo, Vincent. Lucæ Martinus fratris eius gener, paren. apud se locū semper adsecuto, opt. mer. POS. Obijt anno Domini M. CCCC. XXII. Die xxv. Iunij. Vixit ann. LXXIX. M. III.

*Olim Pierides, olim Florentia mater*

*Viuentè risit POGGIO.*

*Nunc tumulū hunc adit, & donū pro carmine flores*

*Fert, proq; risu lacrimas:*

*Qua nisi pro vera modò sint Pietate, rogabit*

*Arnus ministreret vt suas.*

---

PLACIDI FVSCI MEDICI.

*Post obitum viuo melius, doleoq; medendi*

*Arti-*

*Artibus extremum sæpè fugasse diem.*

Obijt pridie Idus Mart. M. D. LXXIV. Vixit ann.  
LXIV. M. V. D. II.

## EDVARDI CARNI.

EDVARDO CARNO BRITANNO, I. C. ora-  
tori, summis de rebus Britanię Regum ad Impera-  
torem, ad Reges, bisque ad Romanam & Apostoli-  
cam sedem, quarum in altera legatione à Philippo  
Mariaque pijs Regibus missus, oborto deinde, post  
mortem Marię, in Britannia schismate, sponte pa-  
tria carens ob Catholicam fidem cum magna inte-  
gritatis veręque pietatis existimatione decessit.  
Hoc monumentũ Galfridus Vachanus, & Thomas  
Fremannus amici ex test. P. Os. obijt M. D. LXI. 14.  
Cal. Febr.

## ANDREAE DE CASTRO.

*Adsit, & legat hec notata vita,  
Trepidet, moneo licet iuuenta:  
Sis forti atque animo potens, eundum est,  
Nec quã scire licet, viã, venit mors,  
Clam per mille modos; en ipse strens  
Equi calce feri peremptus hic sum.  
Quare viuto iam benè ac paratus.*

ANDREAE DE CASTRO, Iuveni Salmant. &  
quidem frugi fatorũ inuidia ac spe crescente ere-  
pto, Christophorus de Castro auunculus paterna  
pietate posuit. Vixit ann. xxvi. obijt xxvi. Ianuar.  
anno M. D. XXI.

## ROBERTI PECHAMI.

ROBERTO PECHAMO Anglo, equiti aurato,  
D Philip-

Philippo & Marię Anglię & Hispan. Regibus olim à Consilijs, genere, religione, virtute præclaro; qui cum patriam suã à fide Catholica deficientem aspicere sine summo dolore non posset, relictis omnibus, quæ in vita carissima esse solent, in voluntariũ profectus exilium, post sex annos pauperibus (res rari exempli) hæredibus ex testamento institutis, sanctissimè è vita migravit, Id. Septēb. M. D. LXXIX. ætatis suæ LIV. Thomas Goldoueldus Episc. Afa- uens. & Thomas Kirtonus Angli testamenti Procuratores POSS.

## STATII TVMVLVS.

STATIVS hic situs est, iuuenē quem Cypris ademit,  
Præconem AENEÆ carmine quod præmeret.

STATIO StatI fil. dulcis. Christophora Mater  
pientis. POS. Vixit annos XXXIII.

## IN TEMPLO APOSTOLORVM.

BESSARIO Episcopus Tusculanus S. R. E. Card.  
Patriarcha Constantinopolitanus, Nobili Græcia  
ortus oriundusque sibi viuus POS. Anno salut. M.  
CCCC. LXVI. ætatis LXXVII.

Τῆρ' ἐπὶ Βησσαρίων ζῶν ἀΰσα Ἰσμάκι σῆμα,  
Πνεῦμα ᾧ φευξέται πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Quod distichon Maioranas Salentinus ita vertit:  
Bessarion feci hunc tumulum, qui conderet ossa,  
Venerat vnde olim spiritus, astra petet.

M. ANTONII COLUMNAE PAREN-  
TES POSVERVNT.

Si spectas annos; bimum luxere parentes;  
Si mentem, iste senex nascitur, & moritur.

IN

IN S. CHRYSOGONI TRANS-  
TYBERIM.

HIERONYMO ALEANDRO Mottensi, è  
comitibus Landri in Carnia, Petre Pilosæ in Hi-  
stria oriundo T. T. S. CHRYSOGONI S. R. E.  
Presb. Card. Brundusino, Philosophiæ & Theolo-  
giæ Doctore, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliquotque  
aliarum linguarum exoticarum, ita exactè docto,  
vt eas rectè & aptè loqueretur & scriberet, mox  
diuersis legationibus pro Summis Pont. ad omnes  
ferè Christianos Principes fideliter & diligenter  
perfunctio, & idè in tabem delapso, quanti huma-  
nam miseriam fecerit, sequenti disticho, de se edi-  
to, testatum posteris reliquit:

Καίθαρον ὄκ ἀέκων ἔλε παύσμαι ὄν ἑπιμάτρος  
Πολλῶν, ὄν περ ἰδέν ἄλγειν ἦν δουατῶ.

Quod est:

*Excessi è vitæ arumnis facilisq, lubensq,*

*Ne peiora ipsa morte dehinc videam.*

Natus est Mottæ in Carnia Anno M. CCCC,  
LXXIX. Moritur Romæ, Anno Christ. salut. M. D.  
XLII. ætatis suæ LXII. minus diebus XIII. Hære-  
des patruo amplissimo & opt. moestissimi P. C.

Non tibi pro tumulo hoc, quātumuis nobile marmor

Ponimus: hoc cineres, aridaq, ossa tegat.

Non longos titulos, subiectos casibus ipsos,

Et quibus erasis, ipse superses eris:

Sed totam Europam, quā docto in nomine, oberras,

Quæq, tuas laudes vix ALEANDRE capit.

LATOMVS POS.

GVIDONIS PISANI.

Sedis Apostolica GVIDO Cancellarius ipse,

D 2

Quam

*Quam nihil est mundi gloria, morte probat.  
Pisa virum peperit, quem donat Roma sepulcro,  
Vix paritur a parem, vix fruitur a pari.  
Huic sine nocte diem, vitam sine morte, quietem  
Det sine fine, dies, vita, quiesq̄, Deus.*

AD S. MARIAE DE CLEMENTIA,  
TRANSTIBERINAE REGIONIS.

D. O. M.

ROBERTO ex vetustissima familia  
Comitum de ALTAEMPS  
Galleſij Duci,

A SIXTO V. Pontif. Max. Prætorianis & Vrbi  
Leoninæ & Pix, inde apud Auenionem & Comita-  
rum Venaiſinum militaribus copijs præpoſi-  
to, in ipſo virtutis conatu & honorum  
curſu immaturè extincto,

CORNELIA VRSINA Virginij F. coniugi  
clariffimo mœſtiſſima poſuit.

Vixit ann. xx. M. VI. D. XIV.

Obijt III. Non. Nouemb. M. D. LXXXVI.

*Trans Tiberim tumultata iacent delata Falifcis  
ROBERTI inuicti marmore membra Ducis.  
Quisquis ades, lymphasq̄, ſacras, lacrumasq̄, tepetes  
Sparge, & odoratis floribus offa tege.  
Ille celer claras ſuperum properauit ad arces,  
Scilicet humanas æthere ridet opes.*

IN S. ONOPHRIL.

D. O. M.

TORQVATI TASSI offa hic iacent. Hoc ne  
nescius

nescius esses hospes, Fratres huius Ecclesiae PP.  
M. D. CI. Obijt anno M. D. XCV.

D. O. M.

PHILIPPO SEGAE Bononiensi  
S. R. E. Presbytero Card.  
Placentino,

amplissimis sedis Apostolicae muneribus triginta  
amplius annos in omnibus ferè Christiani  
orbis partibus egregiè functo,  
ab Innocentio IX. in Collegium Cardd.  
cooptato;

Gallica demum legatione sub Clement. VIII. tur-  
bulentis. regni temporibus peracta, illustrem  
dum spectatae prudentiae & probitatis  
laudem adeptus;

in Catholica religione Pontificiaque digni-  
tate propugnanda acerrimo,

Hieronymus Agucchius vtriusque sig. Refer.  
ex testam. hæres auunculo opt. P. C.

Obijt die XXIX. Maij. CIO. IO. XCVI.

Vixit annos LVIII. M. IX. D. VIII.

D. O. M.

RAPHAELI SANCTIO IO. F. vrbinati picto-  
ri eminentissimo, veterumque æmulo, cuius spi-  
rantes propè imagines si contemplere, naturæ atq;  
artis fœdus faciliè inspexeris. IULII II. & LEO-  
NIS X. PP. MM. picturæ & architecturæ operi-  
bus gloriam auxit. Vixit annos triginta septem in-  
tegrè integros, quo die natus est, eo esse desijt, VIII.  
Id. April. Anno M. D. XX.

*Ille hic est RAPHAEL, timuit quò sospite vinci  
Rerum magna parens, & moriente mori.*

D 3

IN

IN S. MARIAE ROTVNDAE, OLIM  
PANTHEON.

THADAEI SVCCARI Pictoris, Raphaelis Vr-  
binatis in arte æmuli.

*Magna quod in magno timuit Raphaelæ, per eque  
THADAEO in magno pertimuit genitrix.*

PERINI BONA CVRTII FLO-  
RENTINI.

*Certantem cum te secum natura videret,  
Irata, in tenebras misit, & ad tumulum.  
At tumulus si te tegit, & PERINE tenebræ,  
Et tenebræ, & tumulus non tua facta tegunt.*

IN S. MARIAE IN VIA LATA,  
CYNTHIAE SEMPER VIVAE.

*Asyrios tumulus non hic sibi poscit odores,  
Florida non multo pressa canistra croco:  
Ipsa etenim raros spirant hæc ossa liquores,  
Vrnaq; perpetuo vere beata nitet.  
Fleuit Amor, mœsta Charites, & CYNTHIA fleuit,  
Pulcra Venus molles subsequitq; comas.  
Vixit ann. XXII. obiit v. Dec. M. D. XL.*

GEORGII TRAPEZVNTII.

*Hæc urna TRAPEZVNTII quiescunt  
GEORGII ossa, parum Deis amici,  
Quod acri & nimium procace lingua  
Platonem superis parem petiuit.  
Claruit anno M. CCCC. XXXV. Obijt senex  
decrepitus & quasi repuerascens.*

IN

---

 IN S. LAVRENT. IN PANISPERNA.

D. O. M.

GYLIELMO SIRLETO Card. Stili in Calabria nato, huius Ecclesiæ Presby. sedis Apostolicæ Bibliothecario, Hebraicæ, Græcæ, Latinæque linguæ peritiss. humanarum diuinarumque disciplinarum sciëntia claro, eruditorum & pauperum patrono ac parenti beneficentiss. ob probitatem eius pietatemque singularem à Pio IIII. Pont. Max. sacro instante collegio Cardinali creato. Vixit annos LXXI. Obijt anno CIO. IO. LXXXV.

---

 IN S. LAVRENT. IN DAMASO.

D. IMM. S. PIETATI ET MEMORIAE IULII SADOLETI Sacerdotis Laurentiniani de collegio Canonorum, Græcis & Latinis litteris singulariter eruditi, omnibus optimis & disciplinis & moribus ita ornati, vt eius ingenium, comitatem, liberalitatem, & ante annos prudentiam nulla satis æquare possit admiratio, Iacobus Sadoleus Fratri concordissimo, & spe de eo maxima orbatu, multis cum lacrymis posuit.

Vixit annos XXVI.

---

 D. O. M.

ANNIBALI CARO Equiti Hierosolymitano, omnis liberalis doctrinæ, Poeticæ imprimis Oratoricæque facultatis præstantia excellentiss. Petro Aloysio Parmensium Duci, & Alexandro Card. Farnesij, ob spectatam in Consilijs dandis fidem, atque prudentiam, suis verò alijsque omnibus ob singularem

D 4

larem



larem probitatem atque beneficentiam cariss. Vixit annos LIX. M. V. D. II.

## IBIDEM.

HIERONYMO FERRARIO Corrigiēsi, (quem in ipso ætatis flore ex oculis hominum non ex memoria mors eripuit) amici & familiares in acerbo officio diligentes, hoc monumentum pro munere extremo cum lacrimis POSS. Vixit an. XLI. Obijt III. Kal. Octob. ann. salutis M. D. XLII.

IN LAURENTIANO TEMPLO OLIM  
LVCINAE DICATO.

Comensis CASANOVA, dum priores  
Et Duces canit, & canit Poetas,  
Præcurtis epigrammatis perennem,  
Ac longam sibi gloriam parauit.

Obijt anno Christiano M. D. XXVII.  
BLOSIVS PALLADIVS sodalis POS.

## IN S. SALVATORIS IN REGVLA.

Robertus iacet hic Vrsina gloria Gentis,  
Roboris innicti, militiæq; decus.  
Da lacrymas, legis hæc quicumq; viriliter, illi  
Non licuit tanto quod cecidisse viro.  
Nam non pugnando iugulauit Martius ardor  
Heroem, in medijs millibus, inq; acie.  
Degeneri stante est sed circumuentus ab hoste,  
Pro facinus! media fossus in vrbe perit.  
Cui tumulum hunc vxor posuit mæstissima, saltem  
Leniat vt cæcis hæc pietate suos.

D. O. M.

D. O. M.

ANNAE DE SPINA, humani diuiniq̄ue iuris  
supra foeminam viresq̄ue ætatis consultissimæ,  
quæ tertia huius memoriæ Corinna, Vixit annos  
xv. Pientis. Pater Hugo ad iucundissimam filiam  
noctes diesq̄ue suspirans commune hoc monu-  
mentum, quod generosi Ser. seq. bene mer. Pos.  
Anno salutis M. D.

IOANNIS MARIÏ CATANAÏ,

*Vide viator, quanta iactura occulti**Effet sepulcri, ni ingeni sui claris**Perennioribusq̄ue monumentis tectus**Adhuc vbiq̄ue viueret CATANAÏVS.*

Obijt anno M. D. xxx.

IN S. TRINITATIS IN COLLB

HORTVLORVM.

FRANCISCO FRANCHINO Consentino,  
Massæ Populoniæ Episcopo, prudenti acriq̄ue vi-  
ro atque venusto Poetæ, qui Phœbi Martisque ca-  
stra secutus,

*Rettulit ad patrios bina trophæa lares.*

MARCI ANTONII MVRETI

TVMVLVS.

*Hic MARCI caros cineres ROMA inclyta seruat,**Quos patria optasset Gallia habere sinu.**Stat colle Hortorum tumulus, stat proximus astris,**Quæ propius puro contigit ille animo.**Tu sacros latices lacrumans asperge, Viator,**Et dic: Heu lingue hic fulmina fracta iacent.*

POS. IVLIVS ROSCIVS.

D. 8

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS LEMOVIX

ad Dei misericordiam obtinendam,  
piorum precibus adiuuari cupiens,  
corpus suum post mortem hoc loco  
sepeliri iussit.

Adtributis mille scutatis huius  
Monasterij Sodalibus, impositoque onere  
perpetui anniuersarij.

NICOLAVS DE PELLEVE Card. Senonen.  
Testam. execut. poni mand.

Vixit ann. LIX. M. II. obiit prid. non Iun. CIO.  
IO. LXXXV.

M. ANT. MVRETO MAGNI HVIVS

MVRETI fratris fil. ætate quidem  
nominis celebrit. minori, spe autem  
& expectatione prope pari  
immatura morte prærepto,

Ludouicus Rualdus Lemouix, & M. Ant. Lanfrancus  
Veron. eius testamento ad pias causas  
facto scripti executores Poss.

Vixit Ann. XVI. mens. v. obiit pridie nonas  
Octob. CIO. IO. LXXXVI.

IN S. IACOBI.

IN CIRCO FLAMINIO, HISPANORVM.

D. O. M.

PETRO CIACONIO Presbytero Toletano,  
in quo multiplicis doctrinæ copia, cum vitæ ac  
morum integritate certabat, qui à Gregor. XIII.  
Pontif. Max. Sanctorum Patrum libris, sacrisque  
Canonibus & sacrosanctis Biblijs perpurgandis  
præpositus, in eo munere obeundo, eruditione,  
iudicio, fide ac diligentia præstitit: Ecclesia S. Ia-  
cobi

cobi Hispanorum, qui urbem colunt, hæres ab eo instituta, monumentum hoc Pofs. Vixit ann. LVI. Obijt anno M. D. LXXXI. VII. Cal. Nouemb.

## CATHARINAE LANGERIN.

*Inualidos ager dum vult curare parentes,*

*Fata recidiuis implicuere malis.*

*Tum magno enixam Lucina dolore coëgit*

*Aræ Persephones dira subire domum.*

*O pietas! ô dij! Crudeli sorte licebat*

*Viuere, sed præstat cum pietate mori.*

CATHARINAE LANGERIN, Coniugi sua-  
uissimæ, elegantia formæ perpaucis, moribus ve-  
rò atque viuendi consuetudine nulli foeminarum  
comparandæ, quam concordiam mariti, fortunæ  
bonis, liberisque fortunatâ dixisses. Sed ea omnia,  
ne quid humani non fluxum caducumque existi-  
mes, mors importuna inopinanti ante tempus e-  
ripuit. Moritur anno ætatis suæ XXVII. à salut.  
Christiana M. CCCC. XCV. Prid. Calend. Ianuar.  
Ioan. Langer maritus, & Ioan. Engel. genitor eius,  
h o monumentum contra vota statuerunt.

## DIDACI DE VALDEZ.

*Certa dies nulli est, mors certa, incerta sequentum*

*Cura, locet tumulum, qui sapit, ante sibi.*

Vixit ann. propè LX. obijt XXVII. Decemb. M. D.

VI. Religio socia vitæ fuit, & pietas mortis  
comes.

## IN S. SABINAE.

D. O. M.

PETRI BERTANI Mutinensis Card. corpus  
hic

hic situm est, qui quum adolescens in D. Dominici  
 familiam nomen dedisset, doctrinæ & virtutis er-  
 gò factus est Episcopus Fanensis, tum à Paulo III.  
 Nuncius missus ad Carolum V. duobus memorie  
 nostræ prudentiss. Principibus incredibiliter sa-  
 tisfecit, A IULIO III. in Cardinalium numerum  
 adlectus, sub Paulo IIII. mortalitatem cum im-  
 mortalitate commutavit. Bene precare, quisquis  
 es, ita tibi quoque alij bene precentur. Vixit ann.  
 LVI. M. IIII. D. IIII. Obijt anno sal. M. D.  
 LVIII.

GVRONIVS frater fratri vita cariori Pos.

IN D. IOANNIS EVANGELISTAE  
 ANTE PORTAM LATINAM, OLIM  
*Diana in Calio.*

IOANNI BAPTISTAE FLORENTIOLO  
 puerorum fosculo,

*Ne dulces ferres fructus, mellite IOANNES,  
 Decussit flores mors inimica tuos.*

Vixit ann. VI. obijt X. Cal. Iulij M. D. LXXIII.  
 Simon & Ludouicus Florentini Ciues  
 Parentes moestiss. amoribus & deli-  
 tijs suis PP.

IN S. PVDENTIANAE.

HENRICVS CAIETANVS

Tituli S. Pudentianæ Presb. Card. S.R.E. Camera-  
 rius, Legatus Apostolicus.  
 primùm Bononiæ, secundò in Gallia in obsid. Pa-  
 risiensi; tertium in Polonia contra Turcas,  
 Sanctæ huius Ecclesiæ & sacelli à fundamentis in-  
 staurator hic requiescit.

Vif

Vir pietate, candore,  
magnitudine & fortitudine animi memorabilis,  
Ecclesie inferuuit summâ domi forisque auctori-  
tate, & apud omnes ordines gratiâ.

Obijt annum agens L. An. Dom. M. D. I C. Idib.  
Decemb.

IN HOSPITALI S. MARIAE DE  
CONSOLATIONE.

SCELETOS VIATORI.

*Carnibus orba suis cur sint hæc, forte requiris  
Iuncta tamen iusto corporis ossa situ?*

*Sic mandata dedi viuens Antonia quondam,  
Et moriens eadem iussa suprema dedi.*

*Ut SCELETOS fierem medici quo discere possent,  
Quanta forent, quod, quo, qualibet ossa loco.*

*Quod iussi, fecit Gisbertus Gratia magna,  
Hinc maneat, satis est lux mihi perpetua.*

IBIDEM.

Quod hoc vides, amice, corpus sine corpore, ne  
stupeas, aut damnes quisquis es. Testamento sic  
ipsa caui, ut hoc, quod cernis, fierem, philosophis  
ac medicis sacrum. Horum si es de numero; sacro  
legato vitor. Sin prophanus, indoctus; hinc ocy-  
us abscedito.

IN S. MARIAE AVENTINAE OLIM  
BONAE DEAE.

*Immitis ferro secuit mea colla maritus,  
Dum propero niuei soluere vincla pedis.*

Non

*Non culpâ meruisse necem, pia numina testor,  
Sed iaceo fati sorte perempta mei.  
Discite ab exemplo Christiana, discite patres,  
Ne nubat fatuo filia vestra viro.*

IN SALVATORIS DE LAVRO  
CADAVER.

*Prius sperma fœtidum,  
Vixi domus stercoreum,  
Denatus esca vermium,  
Speculum peregrinationis humane.*

IBIDEM.

*Hic iacet exiguâ LAETVS POMPONIVS vrnâ,  
Cuius honos meritò pulsat vtrumque polum.  
Latus er at Roma Vates sublimis, & idem  
Rhetor, nunc campis latior Elysiis.*

DOMITIVS PALLA'DIVS POS.

IN PVBLICA HOSPITALI DOMO  
EPITAPH. I. C. ET ARTIVM  
Doct. Germani.

*Hic iacet IODOCVS, qui fuit Roma coquus,  
Doctior in partibus, magister in artibus.  
De gratia speciali, mortuus in hospitali.*

EXTRA FLAMINIAM IN VINEA  
IVLII III.

DEO, ET LOCI DOMINIS  
VOLENTIBVS.

*Hoc in suburbano omnium, si non quot in or-  
bis, at quot in vrbis sunt ambitu pulcerrimo ad  
hone-*

honestam potissimè voluptatem factò: honestè voluptuarier cunctis fas honestis esto. Sed ne fortè quis gratis ingratus sciet; iussa hæc ante omnia omnes capeffuntò. Quò vis quisque ambulato; vbi vis quiescuntò; verum hoc citra somnum; circumsepta illud. Passim quidlibet lustrantò; ast ne hilum quidem vsquam attinguntò: qui secus faxint, quidquamve clepserint, aut rapserint, non iam vt honesti moribus, sed vt furtis onusti in crucem pessumam arcentor. Ollis verò, qui florum, frondium, pomorum, olerum aliquid petierint; villici, pro anni tempore, pro rerum copia, & inopia, proque merito cuiusque largiuntor. Aquam hanc, quòd virgo est, ne temerantò; fistimque fistulis, non flumine; poculis, non osculo, aut volis extinguuntò. Piscium lusu oblectantor, cantu auium mulcentor; at ne quem interturbent, interim cauentò. Signa, statuas, lapides, picturas, & cætera, totius operis miracula, quamdiu lubet, obtuentor. Dum ne nimio stupore in ea vortantor. Si cui quid tamè haud ita mirum videbitur; eorum causa, quæ nemo mirari sat quiuit, æquo potius silentio, quam sermonibus iniquis, præterito. Dehinc proximo in templo DEO ac Diuo Andrea gratias aguntò: vitamque & salutem IULIO III. Pontif. Max. Balduino eius fratri, & eorum familie vniuersæ plurimam & æiternam precantor. Huic autem suburbano speciem atque amplitudinem pulcriorem indies maioremque, ac in eo quicquid inest felix faustumque perpetuum optantò.

Hiscè actis valento, & salui abeuntò.



## VILLAE IVLIAE EPIGRAPHE.

IVLII III. PONT. MAX. auspicio, Balduinus eius frater, hoc suburbanum propè Flaminiam ab Antonio patruo Cardinale, olim animi causa comparatū: syluis, hortis, vinetisque contiguus, & quibusvis plantarum generibus numero penè infinito à se auctum: nouoque ac politiore cultu, nullo non loco directum atque illustratum: aqua virgine, & fontibus saluberrimis, & latebris terræ inaccessis, non minus ad commune omnium, quàm ad priuatum commodum eductis: vndique irriguum factum salientibus, piscina, auariorum, atque hoc quasi Theatro, admirabili picturarum, statuarum, emblematum splendore constructis. temploque imprimis DEO Opt. Max. ac Diuo Andree ab ipso IVLIO Pont. erecto atque dicato: sibi, Innocentio Cardinali, & Fabiano Comiti, filijs & eorum posteris, in ampliorem & auctiorem formam redegit. Prædium autem hoc ipsum, ac quidquid vsquam in eo ortum, cultum, structum, ampliatur, ornatum, vel in præsentem est, vel erit in posterum: siue totum, siue aliqua ex parte, cuiusque modi, & quantula ea cunque fuerit: præter ipsos fructus: vti nullo prorsus pretio, nullo pacto, nullo iure, cuiquam vnquam alieni vendi, obligari, donari, aliove quouis modo alienari possit testamento in perpetuum ab eodem Balduino omnibus est interdictum. Ne de nomine exeat familiae suæ.

## LEGES CONVIVALES.

BONO GENIO, GRATIIS, HILARITATIQUE.

Qui hæc læta propitiaque vitæ humanæ numina co-

na colant venerenturque, statisque item solennibus hic sacra faciant, sodales, viri probi, atque elegantes duodecim eleguntur: singulis fascia candida esto, cui hoc symbolum aureis litteris intextum fiet, BONVS GENIVS, LIBERTATIS FILIVS.

Horum ritè electorum sacrum collegium esto, appellanturque LIBERI GENIALES. His potestas fiet collegij supplendi augendi que: nec lectissima foemina repudiantor.

Eruditi, hilares, honesti, faciles adsciscuntor, quisquis idiota, tristis, inurbanus, durus; procul esto.

Cumque indictum coactumque sit liberorum collegium; iocis, risu, salibus, cantu, saltatione, festa que hilaritate & honesta libertate sacra celebrantor.

Omnis calamitatum memoria, miserorum curæ, ægrorum dolores, rixæ Lapitharum, contentiones amarulentæ, dira fatalis horæ præfensio, & cladium futurarum mala omnia, prodigia que & portenta procul finto.

Vnus amatorijs litibus, querelis, atque suspirijs liber locus sit. lugere, lamentari, referre amoris incommoda, ab ingenio que sodalium opem implorare, cuique ius esto.

Epulæ non ferculorum copia, varietate que, sed obsoniorum bellariorum que delectu exquisito, & civili semper sumtu parantor.

Pueri Baccho, mensæ que præpositi, in verendo, refrigerando que solo, locis ad umbram exquirendis diligentes finto. mappæ candidæ, mantilia turbinatim scitè complicata, virentibus folijs, & floribus consperguntor.

Obsonator

tor peritus gulæ, cocus industria insignis, frustor expeditus, lagenarum præfectus non infulsè bibax, ministri à dapibus oculati, celeres, muti; à poculis autem auriti, honesti & elegantes sunt.

Argentum, stannum, fictilia, egregiè terfa apponuntur; calices, variaque pocula, splendida, rotantiaque adferuntur; vina puris fontibus, & puteis refrigerantur. Glacies autem, & Alpinae nives, diri salutis hostes, non accersuntur.

In discubitu ætati honos esto: matronis caris, si adsint, aut elegantibus puellis, si quis adduxerit, iuxta quem volent, discumbendi potestas esto.

Coronati omnes, uti quisque volet, rosa, floribus, myrto, hederà, lauro, iucundissimè epulantur.

Moderatis poculis sodales prouocare fas esto. certamina autem ad æquales haustus interdicta sunt.

Singulo quoque epulo singuli ex collegio descripti annulos in urnam deponunt. Pueri manu sorte annulus vnus tollatur: is cuius fuerit, sequentis symposij princeps esto. Ei autem cum placuerit, & quando voluerit, epuli sumtum, diem, locum, apparatus indicere fas fiet. Qui non paruerit, ut prophanus è collegio excluditor.

Sodalibus ius sit, umbram ducere, quam quisque volet, neque eam, siue sit morio frigidus, vel ineptus scurra, vel poeta infulsus, arcere ius esto.

Qui sanctis purisque legibus contra ierit, duplìcis epuli pœna multator.

Potestas

Potestas autem libera sit declamandi, disputandi de toto liberalium artium negotio, & earum præsertim litterarum, quæ vno humanarum nomine continentur. Remotis mensis, ablegataque extrorsum familia, symposij princeps quaestionem sodalium censura definiendam proponito: respondentes confessus ordine subsequuntur. Inprimis de superis loqui, & de exquisita Christianæ fidei ratione disserere, potis & futuris nefas esto: cum id ad ieiunos & sobrios religiosè pertineat.

De munere verò militari, de prouocatorijs legibus ad singulare certamen, de statu actioneque veræ nobilitatis, de officio viri elegantis, de præscripto iure libertatis matronarum & viduarum, de zelotypia, amatorijque obsequijs certa ratione terminandis: postremò de præstantia civilis cultus, & ratione domesticæ disciplinae, & de finibus urbanæ voluptatis, disserere fas esto.

---

ANTE D. PAULI VIA OSTIENSI,  
AD PORTAM, QUAE ANNO IVBI-  
læo aperitur.

*Præterit ut ventus princeps seu rex opulentus,  
Et nos, ut fumus, puluis & umbra fumus.  
Tot tantisque bonis pollens Petrus ecce Leonis,  
Respice quàm modico nunc tegitur tumulo.  
Vir fuit immensus, quem proles, gloria, census  
Sustulit in vita, non sit ut alter ita.  
Legum seruator, patriæ decus, vrbis amator  
Exstruxit celsis turribus astra poli.*

E 2

Omnia

*Omnia præclara mors obtenebrauit amara;  
Nominis ergo DEI gratia parcat ei.  
Iunius in mundo fulgebat sole secundo,  
Separat hunc nobis cum polus atque lapis.*

EPITAPHIA CANVM INCERTAE  
POSITIONIS.

## I.

*Quod potui, posui tibi fida catella sepulcrum:  
Digna magis cali munere, quam tumuli.*

## I I.

*Candenti è lapide hæc tibi conuenit vrna, fuisti  
Candida tota pilo, candida tota fide.  
Si celum, vt quondam, canibus patet, haud tua terras  
Incendet, sed ver stella perenne dabit.*

## I I I.

TITAE CAPELLAE BLANDISSIMAE  
ANTONIVS THEOBALDAEVS.

Longo ac fido amore probatus Domino, senio  
confectus, seruatâ stirpe hîc iaceo. hoc me honore  
sepulcri herus dignatus est.

## I I I I.

VALENTI TIGRIDIS F. CANI  
GENEROSISSIMAE.

*Quæ cum virtutis, fidei & pernicitatis suæ  
famam, nouo sed illustris. Domi-  
no probare nititur,  
primaque immiffione leporem anum exire  
impreffiones doctam,*

arden-

ROMANA.

69

ardentius quàm cautius supplantat, præcipi-  
ti casu cespitans gulam sibi fregit,  
Inque ipsa victoria, prædæ lux superincumbens  
expiranti,  
gloriosè expiravit gaudens;  
præter hoc vnum quod non oculis Domini,  
cui militabat, sic cecidisset.

V.

EPITAPHIVM CATELLAE.

CATELLA VIOLA Lucinam infeliciter ex-  
perta, hîc sita sum: Hoc lusus, hoc fides meruit mo-  
numentum. Quid mirare? Fides ipsa canes cæli in-  
colas facit.

VI.

PETRVS BEMBVVS BEMBINO  
CATELLO POS.

*Nil tibi non Dominus tribuit, BEMBINE catelle,  
A quo nomen habes, & tumultum & lacrimas.*

VII.

TVMVLVS SAPHYRI CATELLI.

HECATAE SACR.

SAPHYRVS DOMO BATAVVS  
DELICIVM LIPSI, DECVS CANVM,  
INGENIO, LEPORE, FORMA,

H. S. E.

TRISTI FATO EREPTVS,  
ET FERVENTIBVS AQVIS MERSVS,  
CVM VIXISSET LVSTRA PLYS TRIA.  
O HERI DOLOR!

E 3

TVVM,

TVVM, LECTOR, ADDE  
 QVISQVIS LIPSIUM AMAS, IMO  
 QVISQVIS ELEGANTIAM AVT LEPOREM  
 AMAS,  
 QVORVM ISTE THESA VRVS ERAT.  
 ABI, FLORES SPARGE,  
 SI NON LACRVMAS.

PLANGEBAT ET PANGEBAT,  
 I. LIPSIUS OLIM, HEV, DOMINVS.  
 V. KAL. SEPTEMB. CIO. IO. CI.

Plura quære inter Louaniensia.

---

EPITAPHIVM MVSCAE.

*Gustatrix iacet hic lautorum MVSCA ciborum,  
 Et conuiuia frequens Principis in tabula.  
 Non volucris rostro, stimulis nec araneæ aduncis,  
 Cretica sed gustans pocula pota cadit.  
 Nil opus est luctu: quis enim tam nobile fatum  
 Lugeat? est auro condita, mersa mero.*

---

EPITAPHIVM MVLAE.

DIS PEDIBVS SAXVM.

CHIVCHIAE dorsiferæ, & cluniferæ ac pes-  
 fueræ, & mansuetæ, cuius vt insulturâ defulturæ  
 commodetur, PVB. CRASSVS Mulæ suæ Crassæ  
 beneficii suppedaneum hoc cum risu POS.

Vexit ann. III. mens. XV. dies & noctes 2  $\frac{1}{2}$ .

---

TYBVRI IN PORTA.

*Grata bonis, inuisa malis, inimica superbis  
 Sum tibi TYBVR: enim sic PIVS instituit.*

IBI.

IBIDEM.

*Nunquam stygias fertur ad vndas, incluta virtus.  
Iter ad superos gloria pandit.*

VITVLI ET ASELLAE.

*MVRENA VITVLVS, atque ASELLA coniuges  
Quòd morte praeventi, nec illa mula, Bos  
Nec ille quiuit emori, hoc amici de suis  
Donis sibi sumpsere, quod vides soli.*

## NEAPOLITANA.

IN NEAPOLIN IVL. CAES.  
SCALIGER.

**P**Arthenope varij statuit discrimina mundi.  
*Qua tria diuerso tempore secla dedit.  
Aurea Pythagoras communis commoda vita,  
Et docuit Sophia Graecia magna procos.  
Altera succedens studiorum mollior atas,  
Admisit Musas debiliore sono.  
Tertia vulnifici quaesuit pramia ferri:  
Atque equitum potuit sola tenere decus.  
Sic ex priuata & seruata Regina super sum;  
Roma, quod est, fuerat: qua modo sum, quod eras.*

IN AVLA MAGNA AD IMAGINEM  
IVSTITIAE CAECAE, DEXTRA GLA-  
dium, sinistra stateram tenentis.

Cum aeterni tribunal Iudicis illum reum non  
habeat, quem iniuste reus condemnat; testan-  
te Propheta, nec damnabit illum, cum iu-  
dicabitur ei; Caueant Iudices, & pruden-  
ter at-